



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**


[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)





Th. 3087.


J. V.


17.
















SAPIENTISSIMA  
DEI MVNDVM REGENTIS  
GVBERNATIO;

Ex qua pendent, quæ vulgò in  
CASV, FORTVNA, FATO,  
ESSE PVTANTVR.

AVTHORE  
GEORGIO STENGELIO  
Soc. IESV Theologo.



*Societatis IESV Paderb. Collegii. 1657.*  
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

INGOLSTADII.

Apud GREGORIVM HENLINVM.

Anno M. DC. XLV.

SAPIENTISSIMA  
DEI MANU M. RIGENTIS  
GABRIELI  
CASS. FORTI VNA. FATO.  
ESSE PLANTAR.  
AUTORE  
GEORGIO STENCHELIO  
Soc. Lit. & Theolog.



INSTITUTIO  
M. D. C. XLV.

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO DOMINO  
FERDINANDO  
CAROLO  
ARCHIDVCI AV-  
STRIÆ, DVCI BV BGVNDIÆ,  
STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIO-  
LAE, &c. COMITI HABSPV RGI, TYROLIS,  
& GARITIAE &c. LANDGRAVIO  
ALSATIAE, &c.  
PRINCIPI, AC DOMINO SVO  
CLEMENTISSIMO.



Eteris promissi, debitiq̄ue  
memor, SERENISSIME  
ARCHIDVX, afferō tādē  
seu Librum, seu Libellū;  
& si placet, etiam Libellā,  
qua expēdo *Fortunæ* mo-  
menta: argumentū Princeps, & ad Princi-  
pem argumēto dignū. A nullo enim mor-  
talium magis, ingenium, vices, & instabi-  
litas *Fortunæ*, quā à Principe, sunt consi-  
deranda; & quidem à tali Principe, qui *For-*  
*tuna* & filius, & hæres, & domitor victorq̄;  
meritò

meritò potest appellari. Siquidem magnorum Parentum, magna est Proles; ab Aviam Atauisq; felix; antiquæ & inclytæ stirpis ramus; ouum Aquilarū; honoris & virtutis compendium; in quo vno totius laudatissimi stēmat̄is, aut expressa est moribus imago, aut successibus exprimenda. Quid ni & ante oculos statuenda? Vtiliter prospicitur, quidquid *Fortuna* potest machinari. Caueri potest insidians; frustra clypeus opponitur, postquā insidiæ successum habuerunt. Neq; alibi clariora reperiuntur eius ludentis exēpla, quàm apud Cæsares. Maximi semper Casus, apud maximos contigerūt. Nemo altiùs cadit, quàm qui altiùs ascendit. Quisquis in sublimi est, velut scopus est, oculis, linguis, telis omnium expositus. In populo multi securi sunt, quia latere possunt. In aulis, quicumq; eminent, patent; & quanto quisq; est maior, tantò faciliùs tangitur: sicut & in venatu procliuus est, ceruos capita alta ferentes, quàm lepusculos ferire. Nullus ergo contra *Fortuna* præcipitia, circumspēctor esse debet, quàm



E P I S T O L A

vti. Enimuerò, qui SER.<sup>tem</sup> V.<sup>ram</sup>, non domesticè modò, sed vel ex fama nôrūt, sciūt illam hæc talia omnia iam habere in digitis numerata. Vident enim, vel audiunt, sicut corpus humero supereminet omnes, ita & corporis inquilinū animū prorsus excelsum, & super fluxa ista caducāq; heroicè erectū, in consilijs penè quotidianis, supra annos maturum; ad subita imperterritū; constantem ad fortia; denique talem, cui nō opus sit præceptis, cū prudentia, in illo, summa esse possit omnium præceptorū. Multum Patriæ promisit Natura, cū illi hoc ingenium dedit; origine generosum; artibus excultum, virtutibus firmatum; sine quibus artes nocent, nec profunt natales. Quamobrem aiunt, eam, in SER.<sup>te</sup> V.<sup>ra</sup>, indolem esse, vt Fortunæ suæ malit obliuisci, quàm non memor esse virtutum.

Quanquam neq; *Fortuna* potest esse immemor, qui, ne eius tela sint improuisa, scutum semper gerit in manu; æquè paratus militem agere, ac Ducē; perinde promptus, in acie vel stare, vel equitare; manu pedibus

## DEDICATORIA.

dibus aliorum negotium facere, vel consilio præcipitare hostem; vincere, & non insolescere; vinci, & non ringi. Hoc est esse *Fortuna* victorem & domitorem. Nam talē *Fortuna* ipsa timet, à quo suam videt rideri infidelitatem: cui struere malum, inferre nō potest, cūm ad omnia vulnera inueniat adamātem. Talem sese esse *SER.*<sup>tas</sup> *V.*<sup>ra</sup> fludet. Immo talis vt sit, ipsa hæc tēpora, ipse *DEVS* vnā super alteram suppeditat occasionem. Nunquam Mutius Scæuola magis probatus est, quā cūm in mediā flammā versaret dexteram; quò fortior, eò clarior fuit. Manus illius in foco arsit, virtus luxit. Ardet & nunc bellis Germania. Hæc incendia eos magis illustant, quibus sunt propiora. Et, quia multū est, à *teneris* assuescere, in ea ætate, *SER.*<sup>tem</sup> *V.*<sup>ram</sup> incipiūt infortunia exercere, quæ longum discendi & assuescendi tempus relinquit. Penetrauit hæc belli flāma in Alsatiam. Ibi multa hostes patientiæ Austriacæ ademerunt, vt haberet fortitudo, quod recuperaret. Usura est, non iactura, amittere vrbes, & exercere virtutes.



EPIST. DEDICAT.

virtutes. Corrigi Fortuna potest, & recipi occupata, si è cælo veniant commilitones. Quos in *Fortunam* (si ea aliquid est) potentes esse, hic Liber meus docet. Docet ergo artem, qua si SER.<sup>tas</sup> V.<sup>ra</sup> vsa fuerit, Fortunam hominis quidem, attamen animum, Principis, manum Ducis, virtutem Regis habebit; montesq; aureos, non promittet, sed faciet; altissimaq; illa Italiae moenia ita custodiet, vt pro subditis montes, SER.<sup>tas</sup> V.<sup>ra</sup> pro montibus stare videatur. Quod indoles, ingenium, mores, artes, pietas, industria, prudētia, Numinis & laboris amor spondent. Hæc mihi iusta, vt opinor, dedicandi causa fuit. Erit Liber iste, ante vulnera data scutum; post accepta emplastrum. Et *Fortuna* ipsa, quia coeca esse pingitur, apud nullū meliūs, quàm apud Argum, potuit oculos inuenire. DEVS SER.<sup>tem</sup> V.<sup>ram</sup> cōseruet. Ingolstadij An. 1645. 4. Non. Ian.

SER.<sup>tis</sup> V.<sup>ra</sup>.

*infimus seruus*

GEORGIUS STENGLIUS SOC. IESV.

PRÆ-

# PRÆFATIO.



*V*a fuit iam olim, apud Scriptores minimè Christianos, de Virtute atq; Fortuna, ea etiam hodie est, apud malos, aut malè doctos Christianos, querela. Accusatur enim Virtus, vt pulchra quidem, cæterùm inutilis quæ sit: Fortuna, vt bona quidem, sed instabilis: & illius labores fructu, huius dona fide carere, aiunt. *Hæc accusatio licentior est, quàm vulgò videtur; nam, si, quem petat, attentius cogitare velimus, deprehendemus, instrui illam in ipsius Natura Authorem, & Mandi Governatorem. Siquidem ipsam, quæ nobis omnia gignit atq; profert naturam alij Fortunam esse arbitrantur, alij Sapientiam, ait Plutarchus. Natura autem & Sapientia fons est Deus. Quippe, vt divina litteræ testantur: omnis sapientia à Domino DEO est. Cùm ergo ipsum artificem carpat, qui opus eius reprehendit, necesse est, vt Vniuersi Rectorem probri accuset, qui vel de Virtute queritur, tanquam inutili, vel Fortunæ injuriosam sibi existimat esse instabilitatem. Nam etsi nobis, vt Pindarus dixit, incerta est Fortuna, tamen vel ex eiusdem Plutarchi sententia, rectius dicitur Iustitiæ & Suadæ soror,*

Plutar. de Fortu. Rom.

Loc. citi

Eccli. 1.1.

Plut. ibid.

P R Æ F A T I O.

ac Prouidentia ( siquidem ea est Promethea ) filia , quo modo genus eius Alman describit. *Quid enim Fortuna facit , quod*

**Sapi.143.** *Deus non prouidit? Tua, Pater, prouidentia, ab initio , cuncta gubernat , ait ille. Omnes ergo Casus à Prouidentia pendent ; omnis Fortuna à Deo iustissimè sapientissimèque gubernatur ; immo hi ipsi Casus Sapientia diuina quidam rinuli sunt ; per quos, in hac vita , homines, aut conuenienter rerum naturis ; aut , ad iustissimam aterna Prouidentia libellam , utiliter irrigantur.*

*Quod si agnoscerent, in utraque Fortuna, diuinorum iudiciorum non utique censores essent , sed admiratores ; non in indignationis verba, sed in Propheta praconia ebullientes, atque ad omnem, vel proprium vel alienum casum, ex intimo affectu mentis , exclamantes :*

**Pf.144.3.** *Magnus Dominus , & laudabilis nimis : & magnitudinis eius non est finis. Generatio & generatio laudabit opera tua ; & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur : & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent : & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiae suauitatis tuae eructabunt,*

P R Æ F A T I O.

bunt, & iustitia tua exultabunt. Neque enim iniquè se tractari à Fortuna dicunt, qui iustissimum Deum sciunt esse Fortunæ moderatorem. Et vel hinc fiunt patientes, quos celestis Suada, diuinæq; litteræ docent; nihil fieri sine eo, à quo facta sunt omnia, & sine cuius nutu, ne capillus quidem cadit de capite nostro. Hoc est, quod prouerbium pronunciat: Luc. 12. 7.

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam; facile enim furit, & multa, contra Deum & proximum, stulta loquitur; multa insanit, Fortunæq; cæcæ ascribit, quæ suæ ascribere deberet aut cecitati, aut improbitati; cùm non videat, se eiusmodi Fortunam aut meruisse, aut in virtutis occasionem acceptare potuisse. Patiens autem meminit diuinæ Sapientie æquitatem, instar FIGULI, ad Fortunæ rotam sedere, eamq; ex arte summa, vel impellere, vel cohibere; motumq; omnem, velut HOROLOGIO à pondere, ita & humanis negotijs, à Numine accedere. Cùm enim sit à furore liber, animo sedato & tranquillo, de rebus limpidè iudicat; & multâ gubernatur prudentiâ, quæ Deum laudat, quæq; se etiam scit à Deo gubernari. Impatiens autem, idcirco stultitiam suam

Prou. 14.  
29.

P R Æ F A T I O .

Strobæus  
in serm.  
de ira.

suam exaltat, & usq; ad insaniam, saepe etiã  
usq; ad restim adigitur; quia animus perturba-  
tus stagno similis est ventis agitato, cuius aqua  
mota, & fluctibus exasperata imagines aut non  
reddunt, aut concisas laceratãsq; referunt, ut  
vel formosissima in ijs monstrosa esse videatur.  
Mens autem furore libera aqua stanti, tran-  
quilla & lucenti similis; rerum imagines inte-  
gras recipit & genuinas. Quare totam rerum  
seriem intuens, non mordet frenum, non calci-  
trat contra stimulum, sed attendit ad equitan-  
tis dirigentisq; voluntatem; hoc est, non cogitat,  
quid cogitet calumniator; sed quid velit Deus,  
qui iusto consilio, permittit alterum cõuitia in-  
gerere. Ita cogitavit rex, qui, Semei eum conui-  
tijs sibilisq; consectante, & lapidibus petente, di-  
xit: Dimitte eum, ut maledicat, Dominus  
enim præcepit ei, ut malediceret David: &  
quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?  
Cogitare ita docuit ipse hominum Reparator,  
qui iniquissimo iudici suo dixit: Non haberes  
potestatem aduersus me ullam, nisi tibi da-  
tum esset de super. Non ergo, ad Præsidentem, sed  
ad primum motorem aspexit, quando crucem  
humeris excipiens, exultauit, ut gigas, ad  
currendam viam Passionis & mortis. Quis  
stultorum non iurasset esse Casum aut Fortu-  
nam,

2. Reg. 16.  
10.

Ioan. 19.  
11.

P R Æ F A T I O.

nam; Fatumq; suum non indignantissime ac-  
 cussasset, quando spiritus imundi introierunt Mare. 7.  
 in porcos; & magno impetu grex præcipi- 13.  
 tatus est in mare, ad duo millia, & suffocati  
 sunt in mari? Casusne hoc factum est, aut ali-  
 quâ Deâ Fortunâ irascente? Certè cacodæmo-  
 num id voluntate, & Christi permissione acci-  
 dit. Siquidē deprecabantur eum spiritus, di-  
 cētes: Mitte nos in porcos, vt in eos intro-  
 eamus. Et concessit eis statim Iesus. Con-  
 cessit autem justè, vel quia Geraseni illo, maio-  
 réq; damno digni erant, qui ita ingrato erant,  
 animo, vt beneficia adepti abigerent benefacto-  
 rem; nam rogabant eū, vt transiret à finibus  
 eorum; quemadmodum D. Chrysostomus illū S. Chry-  
 locū interpretatur: vel quia hinc potestas Chri- sost. home  
 sti, & nominis authoritas innotuit. Nam quod 29.  
 rogant, vt transeat fines eorum, ait S. Hie- S. Hiero-  
 ronymus, non de superbia hoc faciunt, sed nym. cō-  
 de humilitate, qua se indignos Domini præ- ment. in  
 sentia indicabant, sicut & Petrus ait: Exi à cap. 8.  
 me, Domine, quia vir peccator sum. Matth.  
*Vira-  
 barum caussa fuerit, justa fuit. Quod si neque  
 Casus in porcos, neq; Fortuna in gregem eorū.  
 sine nutu Dei, quidquam potuit; poteritne in  
 homines, & homines Christianos? Facile cre-  
 dunt, nihil posse sibi sine Numine Diuūm ac-  
 cidere,*

P R Æ F A T I O.

cidere, qui credunt, nihil vel viliſſimæ auicula-  
rum cōtingere, ſine Creatoris voluntate. Non-  
ne duo paſſeres aſſe vaneunt: & vnus ex il-  
lis non cadet ſuper terrā, ſine patre veſtro?  
Nolite ergo timere: multis paſſeribus me-  
liores eſtis vos. *Hæc ratio omnes Caſus miti-  
gat, omnem Fortunā excuſat; linguam omnem  
in diuinas laudes facundam facit, vt non cum  
lupis vlulet, ſed cum illa luſcinia, vbiq; & vſq;  
canat: Quā magnificata ſunt opera tua,  
Domine; omnia in ſapientia feciſti: imple-  
ta eſt terra poſſeſſione tua.*

**Pſal. 103.**  
**24.**

**Sap. 6. 16.**

**S. Baſil.**  
**ſerm. in**  
**verba**  
**Moyſis:**  
**Attende**  
**tibi ipſi.**  
**Pſ. 138. 6.**

Cogitare ergo de illa, ſenſus eſt conſum-  
matus: & qui vigilauerit propter illā, citò  
ſecurus erit. Quoniā dignos ſe ipſa circuit  
querens, & in vijs oſtendit ſe illis hilariter,  
& in omni prouidētia occurret illis. *Quod  
in hoc libro oſtendemus. Qui itidem pars eſt Iu-  
diciorū DEI, quæ, in hac vita noſtra, exer-  
cet. Quare & tu, mi Lector, (verbis D. Baſilij  
te compello) inueſtigabilem Conditoris tui  
ſapientiam meditare, vt ſimul cū Propheta  
dicas: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.  
Attende itaq; tibi ipſi, vt DEO ſimul atten-  
das. Ita neq; intus panebis, neq; foris formida-  
bis auro, ne ſurripiatur. Ita non Fortunam, ſed  
Fortuna Dominum timebis. Ita abhorrebis ab  
impio*

P R Æ F A T I O.

*impio illo Machiauelli dogmate, qui Principi suadet, vt Fortunæ & Casui felicitatem, nō virtuti & veræ religioni tribuat. Et hæc quidem sceleratum illud Sathanæ organū, prioribus duobus libris, quibus de Principe agit. Hac machina virtutem euertit. Nā, teste etiam Ethnico, si Solon Remp. fortuitò cōstituit; si Miltiades Fortunæ munere exercitum duxit; si Aristides Casu fuit justus: nullum iam virtutis erit opus. Nimis, hoc auo, serpsit illa pestis, quæ, vt virtuti nihil relinquat, omnia tribuit Fortune. Quamobrem, dum Fortuna semper in ore est, diuina Sapiētia, Proidentia, Iustitiaq; memoria è mente pellitur. Quadrat proinde in nostrum seculū illud, quod de Romanis dictum est cum sale: Sapiētiæ in hunc vsq; diem ( nisi Constantinopoli ) templum non est, neq; Temperantiæ, aut Tolerantiæ, aut Magnanimitatis, aut Continentiæ. Fortunæ verò templa sunt splendida & antiqua, ac tantū non cū primis, Romæ, fundamentis posita. Extrita mentis sit homo, qui horologiū nō solūm externa facie pictū, aut sculptum, stilo indice velut linguā loquens, aut tāquam digitum in numeros horarum intendens; sed etiā, in visceribus, tot currentibus rotulis animatum, tot reuolutis in sese dentibus*


Anton.  
Possen.  
lib. 1. Bib-  
lioth. se-  
lectæ.  
cap. 26.  
Plutarch.  
orat. 2. de  
Fort. vel  
Virt.  
Alex.



P R Æ F A T I O .

dentibus complicitum; tot ferri Meandris inquietum, tot cardinibus vinculisque compactū, si intueatur, pronunciet, non certis ponderibus id librari, non moueri consilio, deniq; non arte concinnatum esse, sed casu & temerè ita coactuisse. Sicut ergo in horologio Archimedicum admiramur ingenium, ita in toto mundo, diuinum illum Opificem suspiciamus, eiusq; sapientiam agnoscamus; nec temerè ac fortuito putemus, Solem, Lunam, sidera, orbēq; caelestes rotari; multoq; minùs homines ipsos, quorum causa sphaera & astra, tam certis motibus quotidie currunt & recurrunt, suosq; circulos, vel mensibus, vel annis, vel seculis, absoluunt. Sic Fortuna rotans, qui mente voluit, non voluit, ut saxum suum Sisyphus, sed ut, structo meliore templo, incipiat Sapientia litare, ac desinat sacrificare Fortune. Illud monere debeo, de Fortuna me agere, eiusque vel dominio, vel freno. Fortunatos & Infortunatos, pro re nata, attingi. Ilias esset, si vellem omnes enumerare. Et eiusmodi vel ludibria, vel spectacula, passim, in reliquis de iudicijs DEI partibus recensentur.

S A P I E N -



SAPIENTISSIMA  
 DEI MVNDVM REGENTIS  
 GVBERNATIO,  
 EX QVA PENDENT  
 QVÆ VVLGO IN CASV AT-  
 QVE FORTVNA, AVT FATO  
 esse putantur.

C A P V T I.

*Quid non sit, aut quid sit FORTVNA,  
 CASVS, FATVM? & in his omni-  
 bus, Deum dominari.*

§. I.

*Nullum Fortune aut Fati auxilium ad-  
 iungi posse Deo.*



Ræcipuus ferè error est mortali-  
 um, vt credant, *Fortunam*, aut  
*Fatum*, in casibus humanis, do-  
 minari: quorum vno Prouiden-  
 tiam è medio tollunt, altero necessitatem  
 ipsi Deo imponunt; & vtroque efficiunt, vt  
 Deus non esse Deus videatur. Si enim Deo  
 necesse est Deam adiungere, quæ *Fortuna* vo-  
 cetur, atque hunc Mundum regat; confici-

A tur,

tur, Deum non sufficere, ad hunc Mundum gubernandū. At qualis ille esset Deus? quā parum omnipotens? quāque inops, si *Fortunæ* ope auxiliōque indigeret? Quod etiam consequens est, si vlla *Fati* necessitate vrgeatur. Siquidem nulla est omnipotentia, vbi necessitas manum iniicit aliquid facere cupienti. Quin neque illi ipsi rectè sunt ratiocinati, qui cū omnia assererent fortuitò contingere, *Fortunam* esse Deam crediderunt. Si enim Dea illa aliquid fieri voluit, ergo id, non *fortuito casu*, sed Deæ consilio ac voluntate euēnit; aut si fortuitò euēnit, ergo id Dea nulla voluit euēnire. Qua de causa Epicurus, teste Nicephoro, *nullos Deos asseruit, omniāq; fortuitò, & sua sponte existere sensit, & Mundum, nulla prouidentia regi, apertè docuit.* Quid necesse est prouidere, si omnia quadam *Fati* necessitate fiunt? quid consulto opus est, si omnia fortuitò contingunt?

Nicephor. lib. 10. hist. Eccles. cap. 26.

## §. II.

*Ethnicorum Fortunam Deam credentium fabulosa opinio.*

Et tamen fuere, qui ita stultescerent? Apud Poëtas, *Fortuna gubernans, ceca, fatalis, omnipotens* vocatur. Poëtas secuti sunt

Lucret. l. 5. Cic.

orato-

oratores. Tullius scribit: *Magnam esse vim, in Fortuna, in utramq; partem, vel ad securas res, vel ad aduersas, quis ignorat?* Idem alibi, *dominam rerum Fortunam* appellat. Iam si de Philosophis sit sermo, *Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent Philosophi*, ait author ad Herennium, *saxoq; instare globoso prædicant volubili*. Ex Niceta constat, *Fortune* imaginem, apud quosdam, nouaculæ impositam, vel globo, ad prosperæ *Fortune* periculum & instabilitatem designandam: quod habet etiam Dio Chryso-  
stomus. Apud alios, erat gubernaculum nauis insertum manibus eius, tanquam rerum vniuersitatem moderantis. Certè, præter Epicurum, paulo priùs, citatum, Democriti & Empedoclis, vt testatur Aristoteles, sententia fuit, omnia, in Mundo, formata esse ex fortuito impetu atque concursu atomorum: omnia item, quæ in Mundo fiunt, fieri *casu*. *Cebes Philosophus*, teste Cicerone, *aliq; veteres Fortunam cæcam effinxerunt, furenti similem, volubili saxo pendentem*. Quo picturæ artificio significare volebant, eam nihil ratione aut iudicio, omnia temerè & cæco impetu administrare; rerum humanarum aleam susq; deq; vertere; iniquam vexatricem esse;

A 2 malis

l. 2. Offic.  
Cicer.  
pro Mar-  
cello. Au-  
thor. ad  
Heren.  
Nicet. 4.  
thesaur.  
in appen-  
dic. 1. ad  
hæref. 42.  
Dio  
Chryf. o-  
rat. 64.

Aristot.  
l. 2. Phys.  
cap. 4.

4 Cap. I. Quid non sit, vel sit

Clem.  
Alexand.  
in pro-  
trept.

S. Greg.  
Nazianz.  
or. 3. Cic.  
in Lælio.

*malis propitiam; bonis aduersam; vagam ac ver-  
satilem; & in sola leuitate constantem. Quid  
multis opus est? eò dementiæ ventum est, vt  
Romani Fortunam Deam maximam cum  
putarent, illam tamen, vt notat Clemens  
Alexandrinus, in sterquilinio locarent, sci-  
licet dignum Deæ templum secessum tribuentes,  
ait idem. Nondum satis est: vsque eò Roma-  
ni insaniuerunt, vt hanc Deam, in sterqui-  
linio, collocatam, adorarent; immo etiam  
Male fortune aram in Exquilijs extruerent.  
Seruius Tullius non solū, in Capitolio, For-  
tunam Primigeniam & Obsequentem dedica-  
uit; sed etiam iactare & prædicare ausus est,  
sibi consuetudinem intercedere cum Fortu-  
na, quam, per fenestram quandam, in fu-  
um cubiculum, ad se delabi dictitabat. E-  
uersum eius templum, grauiter vltum Iu-  
lianum, quasi summum nefas esset factum,  
scribit Nazianzenus. Nimirum rectè dictum  
est à M. Tullio: Non ipsa solūm Fortuna cæca  
est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos  
complexa est. Et ille:*

*Fortuna, nimum quem fouet, stultum facit.*

§. III.

*Christianorum quoque nonnullorum vane  
de Fortuna persuasiones.*

Quod

Quod utinam Ethnicis tantum contigisset! Nunc, non modo Bupalus, apud Smyrnæos, sed etiam Christiani, Ethnicismum, obolentes, Deam hanc nudam, cœcam, secundo flatu, carbasa ventilantem, in libri, in nummis, in scutis, in columnis, in ipsis ædium vestibulis pingunt, & suspendunt; ut necesse esset vel ipsos, qui transeunt, cœcos fieri, ne impudentem Deam aspicerent; vel nudam vestiri, ut aspici non posset. Neque fatis est, Veneream imaginem huic Deæ poni; à plurimis Dea habetur, à plurimis, ut Dea colitur, à plurimis, cum Sallustio, dicitur, *Fortuna in omni re dominatur: ea, res cunctas, ex libidine magis, quam ex vero celebrat obscuratque.* An non enim multi, sermone quotidiano, *Fortunam* suam vel laudant, vel accusant; vel etiam inuocant? An non *Fortune* plurima attribuunt? An non dicunt, inter ludendum, sibi *Fortunam* fauisse, aut defuisse? in prælijs, in negotijs, in venatu, in itineribus, in matrimonijs contrahendis, & denique, in qua re, non tribuunt primas *Fortuna*? Huic victoriæ, huic prædæ, huic optata omnia ascribuntur. Ita vanitas veritati, & Dea falsa, vero Deo antefertur. *Toto Mundo, & locis omnibus,* ait

Pausan.  
lib. 4.

Plinius  
lib. 2.

Plinius, omnibusq; horis, omnium vocibus *Fortuna* sola inuocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur: volubilis, à plerisque verò, & ceca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramq; paginam facit; adeoq; obnoxia sumus sortis, ut fors ipsa pro Dea sit. Nisi quòd *Fortunum* Deum à Philosophis quibusdam dictum, quam vulgus *Fortunam* nominat, Lactantius & Arnobius referunt, & refellunt. Parum enim refert, virum, an foeminam esse fingas, si mentiaris.

Lactant.  
l. 3. c. 28.  
& 29. Ar-  
nob. lib. 3.

## §. IV.

*Nomen & Numen Fortune unde ortum, & à quibus oppugnatum?*

S. Augu-  
stin. lib. 1.  
Retract.  
cap. 1.

S. Augustinus, quia ipsius tempore multæ adhuc supererant reliquæ Gentilium *Fortunam* pro Dea habentium, ne illis daretur occasio errandi, aut superstitio eorum, auctoritate ipsius, confirmata videretur, etiam quòd nomen *Fortuna*, licet bono veròque sensu, usurpârit, seipsum reprehendit. Refert ergo plurimum, ad diuinæ Prouidentiaë laudes redintegrandas; erroremque, plus, quam

quàm vulgò putatur, perniciosum rudi populo eripiendum, vt ostendamus, nec *Casum* pro Deo, nec pro Dea *Fortunam*, sed, in vtrisque, Deum verum rebus humanis omnibus dominantem esse agnoscendum. Veteres enim, quia latentes antea, subitoque erumpentes inexpectatos euentus animaduverterunt, quorum causam cum ignorarēt, nec tamē nullam esse, sibi persuaderent, occultum quoddam Numen esse, à quo ij prouenirent, id est, *Fortunam* statuerunt, ipso Cicerone dicente: *Ignoratio rerum atq; causarum Fortuna nomen induxit.* Testatur

Niceph.  
l. 10. hist.  
Eccles.  
cap. 26.

Nicephorus, nonnullos Græcos Philosophos pugnauisse *præstantibus libris aduersus Epicuri sectatores*, *Fortunæq; cultores.* quod & Paulinus fecit epist. ad Iouium, & S. Hieronymus in cap. 65. Isaia, ad illud: *Ponitis Fortunæ mensam*, alijque.

§. V.

*Lactantij de Fortunæ assertoribus  
sententia.*

Egregiè Lactantius hanc superstitionem, vnà cum origine sua, attingens, antiquos stultos potiùs, quàm sapientes perstringit, his verbis: *Non dissimili errore credunt, esse Fortunam, quasi Deam quandam res humanas*

Lactant.  
lib. 3. diuinar. Institut. c. 27.



8 Cap. I. Quid non sit, vel sit

varijs casibus illudentem; quia nesciunt, unde sibi bona, & mala eueniant. Cum hac se compositos ad praeliandum putant; nec ullam tamen rationem reddunt, à quo, & quam ob causam; sed tantum cum Fortuna se digladiari, momentis omnibus, gloriantur. Iam quicumq; aliquos consolati sunt, ob interitum, amissionemq; charorum, Fortuna nomen acerrimis accusationibus prosciderunt: nec omnino vlla eorum disputatio de virtute est, in qua non Fortuna vexetur. M. Tullius, in sua consolatione, pugnasse se semper contra Fortunam, loquitur; eamq; à se esse superatam, cum fortiter inimicorum impetus retudisset; ne tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus, patria caruit. tum autem, cum amiserit charissimam filiam, victum se à Fortuna turpiter confitetur. Cedo, inquit, & manum tollo. Quid hoc homine miserius, qui sic jaceat?

§. VI.

Vniuersam mundum, non à Fortuna, sed à diuina Providentia regi.

Erigendus est igitur, & docendus homo, quid non sit, aut quid sit Casus & Fortuna.

S. Augu-  
stin. lib. 5.  
super Gé.  
cap. 31.

Nam, teste Augustino, omnino audiendi non sunt, qui putauerunt, sublimes quidem Mundi partes, id est, à cōfinio corpulentioris aëris huius, & supra,

& supra, diuinâ prouidentiâ gubernari: hanc  
 autem imam partem terrenam & humidam,  
 aërisq; huius vicinioris, qui terrarum & aqua-  
 rum exhalationibus humescit, in quo venti nu-  
 besq; consurgunt, Casibus potius, & fortuitis  
 motibus agitari. Contra hos loquitur Psal. qui,  
 cum explicasset laudem cœlestium, se etiam ad  
 ista inferiora conuertit, dicens: Laudate Domi-  
 num de terra, dracones, & omnes abyssi: Ignis,  
 grando, nix, glacies, & spiritus tempestatis, quæ  
 faciunt verbum eius. Nihil enim tam videtur  
 Casibus volui, quam omnes istæ procelle ac tur-  
 bulenta qualitates, quibus cœli huius inferioris,  
 quod non immeritò etiam terra nomine depu-  
 tatum est, facies vertitur & variatur. Sed cum  
 addit: quæ faciunt verbum eius; satis ostendit,  
 earum quoq; rerum ordinem diuino subditum  
 imperio latere nos potius, quam vniuersitatis  
 deesse nature. Quod autem ore suo Saluator di-  
 cit: Vnum passerem non cadere in terram, sine  
 Dei voluntate; & quod fœnum agri post paulu-  
 lum mittendum in clibanum, ipse idem vestiât,  
 nonne confirmat, non solùm totam istam Mundi  
 partem rebus mortalibus & corruptilibus de-  
 putatam, verùm etiam vilissimas eius, & abje-  
 ctissimas particulas diuina Prouidentia regi?  
 Immo vsque adeò Fortune cultus, immo

S. Augu.

Am. lib. 1.  
Retract.  
cap. 1.

mentio displicet D. Augustino, vt in libris Retractionum, non dubitet, suos de ea loquendi modos corrigere. *In tribus libris meis de Academicis, inquit, non mihi placet, toties me appellasse Fortunam, quamuis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis. Vnde & illa verba sunt, que nulla religio dicere prohibet, forte, forsitan, fortasse, fortuito: quod tamen totum ad diuinam reuocandum est Prouidentiam. Hoc etiam ibi non tacui dicens: Etenim fortasse, que vulgò Fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur; nihilq; aliud in rebus Casum vocamus, nisi cuius ratio & causa secreta est. Nihilq; seu commodi, seu incommodi contingit, quod non conueniat & congruat vniuersò.*

§. VII.

*Fortuna, pro Dea habitæ, refutatio.*

Lactant.  
lib. 3. c. 28.

Elegantissime rursus & disertissime Lactantius, *Fortuna, inquit, per se nihil est; nec sic habendum est, tanquam sit in aliquo sensu. Siquidem Fortuna est accidentium rerum subitus atq; inopinatus euentus. Verùm Philosophi, ne aliquando non errent, in re stultâ, volunt esse sapientes: qui fortune sexum mutant, eamq; non Deam, sed Deum esse dicunt. Eundem ta-*  
men

men interdum naturam, interdum fortunam  
vocant; quòd multa (inquit idem Cicero) effi-  
ciat inopinata nobis, propter obscuritatem, ig-  
norationemq, causarum. Cum igitur causas ig-  
norent, propter quas fiat aliquid, & ipsum, qui  
faciat, ignorent, necesse est. Idem in opere valde  
serio, in quo præcepta vitæ deprompta ex Philo-  
sophiâ filio dabat, magnam inquit, esse Fortune  
vim in utramq, partem, quis nesciat? Nam &  
cum prospero flatu eius utimur, ad exitus per-  
uenimus optatos, & cum reflauerit, affligimur.  
Primum, qui negat, sciri posse quicquam, sic hoc  
dixit, tanquam & ipse, & omnes sciant. Dein-  
de, qui, etiam quæ clara sunt, dubia conatur  
efficere, hoc putauit esse clarum; quod illi esse  
debit vel maxime dubium, nam sapienti om-  
nino falsum est. Quis, inquit, nescit? Ego verò  
nescio. Doceat me (si potest) quæ sit illa vis, qui  
flatus iste, & qui reflatus? Turpe igitur est, in-  
geniosum hominem, dicere, id, quod, si neget,  
probare non possit. Postremò, quòd is, qui di-  
cit, assensus esse retinendos; quod stulti sit homi-  
nis incognitis rebus temerè assentiri: is planè  
vulgi & imperitorum opinionibus credit, qui  
fortunam putant esse, quæ hominibus tribuat  
bona & mala. Nam simulachrum eius cum co-  
pia & gubernaculo fingunt; tanquam hæc & o-  
pes

pes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni & Virgilius assentit, qui Fortunam omnipotentem vocat: & historicus, qui ait: sed profecto Fortuna in omni re dominatur. Quid ergo ceteris Dys loci superest? cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest, aut sola colitur, si omnia? vel si tantum mala immittit; aliquid cause proferant, cur, si Dea sit, hominibus inuideat, eosque perditos cupiat, cum ab his religiosè colatur: cur equior sit malis, iniquior autem bonis. Cur insidietur, affligat, decipiat, & exterminet: quis illam generis hominum perpetuam vexatricem constituerit: cur denique tam malam sortita sit potestatem, ut res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret, obscurèq;. Hec, inquam, Philosophos inquirere, oportuit potius, quam temerè innocentem accusare Fortunam: quæ etiam si sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica sit, quam putatur. Itaque illæ omnes orationes, quibus iniquitatem fortune lacerant, suasque virtutes contra fortunam superbissimè iactant; nihil aliud sunt, quam deliramenta inconsideratæ lenitatis. Quare non inuideant nobis, quibus aperuit veritatem DEVS: qui, sicut scimus, nihil esse fortunam, ita scimus, esse prauum ac subdolum spiritum

*spiritum, qui sit inimicus bonis hostisq; iustitia;*  
*qui contraria faciat, quàm DEVS, cuius in-*  
*uidie causam in secundo libro explicauimus.*  
*Hic ergo insidiatur vniuersis: sed eos, qui nesci-*  
*unt DEVM, errore impedit, stultitiâ obruit,*  
*tenebris circumfundit, ne quis possit ad diuini*  
*nominis peruenire notitiam; in quo uno & sa-*  
*pientia continetur, & vita perpetua. Eos autem,*  
*qui DEVM sciunt, dolis & astutiâ aggredi-*  
*tur, ut cupiditate & libidine irretiat; ac pec-*  
*cati blandimentis deprauatos impellat ad mor-*  
*tem: vel, si dolo nihil profecerit, vi & violentiâ*  
*deicere conatur. Hic ergo humani generis,*  
*ab initio, deceptor, homines inducit, vt For-*  
*tunam aliquid esse existiment, quod sit in-*  
*uocandum; &, dum bonos vexat, malos,*  
*tanquã suos, fouet, Fortunam tanquam Nu-*  
*men inuexit. Diximus, quid non sit For-*  
*tuna.*

## §. VIII.

*Fortunam atq; fortuita, ob hominum occultas*  
*rerum causas ignorantium opinionem, ita di-*  
*ciratione autem Dei omnia prouiden-*  
*tis, nihil esse fortuitum.*

*Quid ergo tandem est Fortuna? Fortuna S. Augu-*  
*intelligenda est pro ijs rebus, ait D. Augusti- stin. lib<sup>o</sup>*  
*nus, qua fortuita videntur accidere, non quia quæst.*  
*numen XCI.*

Idem lib.  
5. de Ciu.  
Dei. c. 1.  
Aristot.  
2. Phys.  
cap. 5.

S. Aug.  
lib. 9. de  
Ciu. c. 13.  
Item. lib.  
5. super  
Genes.  
cap. 22.

numen aliquod sit, cum hæc ipsa tamen, quæ  
fortuita videntur, causis occultis diuinitus den-  
tur. Vnde etiam verba, quæ nemo potest au-  
ferre à consuetudine loquendi parata sunt, id  
est, Fortè, Fortasse, Forsitan, & Fortuitu. Et  
alio loco: Secundùm opinionem hominum, eâ  
dicuntur esse fortuita, quæ vel nullas causas  
habent, vel non ex aliquo rationabili ordine ve-  
nientes contingunt. Ab Aristotele *Fortuna* &  
*Casus*, causa per accidens, vocantur, ratione  
hominum scilicet, qui causas illas ignora-  
uerunt; aut non prospexerunt: ratione au-  
tem Dei viuientis & omnia videntis; nihil  
casu aut fortuitò euenire potest: quia, eo-  
dem S. Patre teste, *Proidentia Dei summi*,  
non fortuita temeritate, regitur *Mundus*. Nã,  
vt idem alibi disputat, cum extrema & exi-  
gna corpora à nutu & regimine Dei providen-  
tia tanta dispositione formentur, vt aliquando  
diligentiùs cogitata ineffabilem incutiant admi-  
rationis horrorem, & cum anime natura ra-  
tione corpori antecellat, quid est dementius,  
quam putare, nullum esse providentiæ iudicium,  
de moribus hominum: cum in eorum carne tan-  
ta eius solertiæ clareant, & demonstrentur indi-  
cia? Sed hîc, vt in re obscura & magni mo-  
menti, clarum ac firmum fundamentũ ja-  
ciamus;

etiamus; aliquantulum nobis Philosophandum est.

§. IX.

*Quid, ex vera Aristotelis, ac Philosophorum rectè sapientium sententia, sit Fortuna & Casus?*

Ex Aristotelis igitur, ac vero Philosophorum sensu, *Fortuna & Casus* numero causarum efficientium accensentur; etsi *causæ per accidens* debeant appellari. Pone eundem & architectum & Musicum. Architectus est *causæ per se* domus, Musicus dicitur *causæ per accidens* domus eiusdem; quia ars canendi coniungitur planè per accidens cum arte ædificandi, in architecto: adeò ut *per accidens* Musicus ædificet. Potest tamen & solet contingere, ut duæ causæ inter se quidem *per accidens* coniungantur, effectum tamen *per se* producant coniunctæ. Atque tunc dicuntur singulæ, ratione illius effectus, *causæ per accidens*, & *Fortuna*, vel *Casus*. Sic, ad inuentionem thesauri, concurrunt & ille, qui thesaurum defodit, & ille, qui effodiendo terram (agri alioqui colendi causæ) thesaurum inuenit. at qui defodit, & qui effodit, singuli sunt *causæ per accidens* inuentionis thesauri. Quare infossio, vel etiam effossio  
illa

Aristot.

2. Phys.

tex. 39.

Vide & 5.

Phys. |

tex. 57.



illaterre, *Fortuna*, vel *Casus* appellatur. Quod utiq; est ratione thesaurum abscondentis, qui nō voluit thesaurum ab altero inueniri; itēq; etiam respectu thesaurum inuenientis, qui agrum colere, non thesaurum inuenire intendit. At Deus intendit, vt, vno thesaurum abscondente, & altero, alia de causa, terram fodiente, thesaurus & ab illo amitteretur, & ab isto reperiretur. Sic enim vtrique conducebat. Hoc igitur pacto, neq; *Fortuna*; neque *Casus* erat; sed ratione amittentis, pœna; ratione inuenientis, gratia. Disposuit ergo Deus, vt & infossio, & effossio concurrerent: qui concursus, aut quod complexum non est *Fortuna* aut *Casus*, sed est *caussa per se*, cum infossionem thesauri, & effossionem terræ, eodem loco, inuētio thesauri necessariò ac determinatè sequatur; sicut ex igne calefactio. Quod si infra Deum foret aliqua naturalis quoque caussa superior, quę vim haberet coniungendi has duas causas, defossionem scilicet vnius, & effossionem alterius, ex qua inuentio thesauri sequitur, tum non diceretur illa caussa superior, *caussa per accidēs*, sed *caussa per se*; quemadmodum, si quis duos habens famulos, Petrum & Paulum, iuberet Petrum defodere

arcam

arcam auro plenam, & deinde Paulum juberet inibi effodere terram, non diceretur, ille Dominus *casu* thesaurum reperisse, aut *bonam Fortunam* habuisse; idque ob duas causas, primò; quia, ex intentione thesauri reperiendi, jussit Paulum effodere terram; secundò, quia per se, mediante Petro infodiente, & Paulo effodiente, ad inuentionem thesauri concurrat. Quod sanè Deus, in omni *Casu* facit. Vnde, tametsi multa contingant *casu*, & *fortuito*, ratione agentium creatorum, secundarumque causarum, nihil tamen contingit *casu*, ratione Dei; qui multas rationes habet, cur illas causas *per accidens*, vel concurrere sinat, vel ipse coniungat. Atque hic concursus, seu ista causarum complexio, vna cum causa summa illas connectente atque ordinante, *Fatum* dicitur, quod Boëtius definit: *inherentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quam diuina Prouidentia suis quaeque nequit ordinibus.* Diuina, inquam, Prouidentia, non *caelum*, quod quidam putant esse causam per se connectentem alias causas inferiores.

Boët. l. 5.  
de consol.  
lat. prof. 6.

## §. X.

*Quodnam sit, inter Fortunam, & Casum, discrimen?*

B

Sic

Sit explicatâ *Fortuna* & *Casus* naturâ, diu obseruo, primum est, ab Aristotèle, alijsque compluribus, ipsam fossionem, qua thesaurus obruitur, vel eruitur, *Fortunam*, aut *Casum* nominari; vnde etiam *Fortunam* & *Casum* ad causam efficientem, licet *per accidens*, & præter intentionem vtriusque for-  
dientis, reuocat: ab alijs autem ipsum euen-  
tum, seu inuentionem thesauri *Fortunam*,  
aut *Casum* nominari. Quod parum interest,  
cum ipsa etiam inuentio, sit quædam effe-  
ctio, seu causa, ob quam thesaurus habetur,  
& non rarò effectus à causa denominetur.  
Alterum est, ferè idem esse *Casum* atque *For-  
tunam*, nisi quòd hæc pressius, in ijs dunta-  
xat posita sit, quæ ex proposito & consultò,  
seu propter finem, ex electione geruntur;  
*Casus* autem magis latè patens, sit *caussa per  
accidens* etiam in illis, quæ alicuius gratia  
quidem, & propter finem, sed siue cum, siue  
sine electione fiunt. Hinc lapides, è quibus  
Deorum altaria constarent, non, nisi simi-  
litudine quadam, Protarchus, *fortunatos*  
vocauit.

## §. XI.

*Nullum, in Mundo, Casum contingere, nullam  
Fortunam mutari, sine diuina sapien-  
tie dispositione.* Qui

Qui hæc fundamenta penetrat, facile vitat errorem Ethnicorum, & magna luce perfusus multas à se propellit animi perturbationes. Tametsi enim, non raro, horrendi quidam Casus, præter mentem, voluntatemque hominum, aut secundæ alicuius causæ ingenium, accidunt; non accidunt tamen præter voluntatem Dei, qui est causa prima, liberè, providè, & creaturarum naturis congruè mouens, & inter se connectens causas secundas. Itaque mortalibus aliquid fortuito contingit, quia ignorant diuinæ Providentiæ consilia & scopum, ac, in cœlestibus arcanis, consultissimum concursum, vel impedimenta causarum aliarum. Deo, cuius sapientia omnia reguntur, & cuius oculis omnia patent, nihil est fortuitum, aut inopinatum. Omnia aut definit, aut permittit, atque in bonum finem dirigit, etiamsi ipsa mala sint, & contra mentem votumque causæ particularis. Scitissime Hipponensis Antistes: *Nihil, inquit, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque Rep. est, quod non de interiore atq; intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur. Et rursum. Quidquid casu fit, temerè fit, siue providentia fit: sed nihil ex-*


Prov. 16.  
2.

S. Aug.  
lib. 3. de  
Trin. c. 4.

tra diuine prouidentie regulam accidit: ergo, respectu illius, nihil temere, aut vice fortuita potest accidere. Vulgus igitur & plebeia inscitia, stultorumq; error ac superstitio Deam Fortunam credit; quæ negotia humana regat. Qui rectè sapit, & censet, non *Fortuna*, sed Deo sacrificat; neque cæcam Deam, quæ nescit & non videt, cui det, vel neget, sed omnia videntem diuinam bonitatem, rebus gerendis aduocat. Christianè Ethnicus

*Iuuenal. Satyr. 10. poëta:*

*Nullum numen abest, si sit prudentia. sed nos  
Te facimus, Fortuna, Deã, cælôq; locamus,  
Quare certa sententia tenendum est, ea,  
quæ, hominum iudicijs respectûque, Casu  
eueniunt, apud Deum omnia clarissimè in-  
tuentem, consilio certo iustoque euenire;  
item quæ, apud nos, fortuitò fiunt; fieri,  
apud supremum rerum omnium Moderato-  
rem, omnes rerum causas casûsque prouid-  
entem ac disponentem, sapientissimâ de-  
stinatione. Nihil illi incertum est. Ipsa eti-  
am contingentia necessariò nouit. Nun-  
quam dubitat, etiamsi nostro se sermoni  
accommodans videtur subinde  
loqui dubitanter.*



## §. XII.

*Cur Deus subinde, in diuinis litteris, loquatur,  
per modum dubitantis?*

Reperimus, apud Ieremiam, Deum sic loquentem: *Noli subtrahere verbum, si FOR-* Ierem. 26. 3.  
*TE audiant, & conuertatur unusquisq, à via*  
*sua mala: & apud Ezechielem: Hæc dicit Do-* Ezech. 3.  
*minus Deus, si FORTE audiant, & quiescant,* II.  
& similia complura, in quibus formulis, fa-  
tetur D. Ambrosius apparentem quidem, S. Am-  
re autem ipsa planè nullam dubitationē ef- brof. l. 2.  
fe. Neque enim Deus, humana incertitudi- de pœnit.  
ne dubitat; sed dubitanter loquitur, vt hu- c. 4. & 5.  
mano more loquatur. Quin neque homi-  
nes ipsi semper dubitant, quando dubitan-  
ter loquuntur. Sic enim Ioël ait: *Conuertiti-* Ioël. 2. 14.  
*mini ad Dominum Deum vestrum, qui benignus,*  
*& misericors est: patiens & multa mise-*  
*ricordia, & prestabilis super malitia. Quis scit,*  
*si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se*  
*benedictionem?* Et paria habentur, apud Io- Ion. 3. 9.  
nam. Quibus locis non dubitatur de Dei  
misericordia, licet, in fermone, figura sit du-  
bitantis. Enimuerò, *ipsi sapientes seculi,* ait  
S. Ambrosius, *omnem gloriam suam statuunt*  
*in expresseione verborum, quæ Latine FORTE*  
*dicimus, Græcè τάρχα, non ubiq, pro dubitatio-*  
B 3 *ne po-*

*Iliad. 6.* ne posuerunt. Quod etiam Homeri exemplo docetur.

## §. XIII.

*Neg, homines semper dubitare, quando per modum dubitantium loquuntur.*

Cur autem Deus quoque hac loquendi formula subinde vtatur, præter causas, quas modò attigi, tradit D. Gregorius, quando Deus dubitantis in morem loquitur, mysterium subesse, vult enim innuere, vel voluntatis nostræ libertatem, cui nimirum diuina voluntas, aut præscientia non imponit necessitatem, aut difficultatem rei: vel paucitatem facientium id, quo de agitur. Quòd si homo aliquis dubitanter loquatur, obseruandum est, an res sit eiusmodi, vt turpe sit, illum de ea dubitare. Nam

*Act. 8. 22.* quando Petrus ad Simonem dixit: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui,* non dubitauit de remissione culpæ; cum ea ipsa sententia ostenderit, spem veniæ & pœnitentiæ locum nemini esse negandam. Iubet enim pœnitentiam agere eum, quem,

*S. Ambros. loc. cit. & S.* vt S. Ambrosius ait, *per magicam vanitatem, blasphemantem, in Spiritum Sanctum, & puram fidei conscientiam non habentem, Apostolica iam*

*ca iam*

ca iam auctoritate condemnauerat. Igitur non dubitauit de misericordia Dei Petrus, si Simon ageret pœnitentiam: cum, præcipuè si hæc adfit, valde æquum sit, vt peccatorisua culpa remittatur; neque dubitari fas sit de eo, quod adeò asseueranter affirmat Deus dicens: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quia itaque de hoc Petrus non potuit dubitare, cur ait, *si fortè remittatur tibi?* Nempe quia dubitare potuit, an vera esset futura Simonis & pœnitentia, & oratio; itémque, quod attinet ad pœnam, an tantus futurus esset dolor, vt totius pœnæ remissionem mereretur. Quod si verò neq; homines, cum videntur dubitanter loqui, semper dubitant, quanto minùs Deus, quem nihil latet? Nimirum hoc est inter hominem ac Deum discrimen: homo, quia mentiri potest, multa, de quibus dubitat, pro certis affirmat; Deus, qui nec fallere potest, nec falli, etsi omnia certissimò nouit, tamen, vt se se homini accommodet, loqui dignatur, per modum, dubitantis; certus ipse, quid in vtramque partem euenturum sit; immò ita causas secundas, iuxta earundem naturas, disponens, & complicans, vt sit futurum.

August.  
lib. de  
vera &  
falsa Pœ-  
nit. c. 3.

Zach. 1. 3.

Ribera in  
Ioëlem  
cap. 2. à  
num. 22.



## CAPVT. II.

*Remedium patientia est, scire CASVS  
à Deo esse; quibus hominem vel ex-  
tollit, vel deprimat.*

§. I.

*Æquius ferri ea, quæ à Deo, quàm quæ à  
Fortuna putantur esse profecta.*

Cic. lib. 2.  
de Diuin.

*Hoc est Fortuna, quod diximus, &  
aliud nihil. Immò ipse M. Tul. ait:  
Quid est enim aliud, fors, quid for-  
tuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic ali-  
quid cecidit, sic euenit, ut vel non cadere, atque  
euenire, vel aliter cadere atque euenire potue-  
rit? Quod cum ita sit, mirandum est, homi-  
nem tam sapientem, sui immemorem, alibi  
Fortunæ tantùm tribuisse. Qui etiam illud  
ad Atticum suum scripsit: Sed hæc Fors vide-  
rit, ea, quæ talibus in rebus plus, quàm ratio  
potest. Quantò sapientiùs Comicus ait?*

Cic l. 14.  
ad Attic.Terent.  
Adelph.

*Illud, quod cecidit Fortè, id arte corrigas.  
Etsi enim, quod factum est, infectum fieri  
non possit; potest tamen fortiùs tolerari, si  
ars, immò si virtus sit, qua agnoscat à bo-  
no Deo permissum, aut immissum; quàm si  
ab Ate aliqua, aut mala Fortuna existimetur  
præparatum. Nam multinominis est; &, ut  
docet*

docet Firmicus Maternus, in cœlo, veteres posuerunt, *bonam Fortunam, & malam Fortunam*. Bonam, quam *ἀγαθὴν τύχην* vocant, 5. ab horoscopo signo; malam, quam *κακὴν τύχην* nominant, 6. ab horoscopo signo constituerunt. Vtramque, vt inquit Pacuuius, *insanam, & cacam, & brutam esse perhibent*. Quis *caca* non indignetur, quæ nihil cernit, quò se applicet? quis non succenseat *insane*, quæ tam atrox & instabilis est, nulla de caussa? quis non irascatur *brute*, quæ dignum, aut indignum nequit internoscere? at, si quid à Deo est, est ab intuente omnia, est à sapiente, est à iusto, est à bono. Necesse est ergo, & ipsum esse bona mente datum. AEquiùs autem etiam mala ferimus, si constet, bona mente profecta.

§. II.

*Quàm malè quidam Fortunam, Casus, aut Fata accusent?*

Vnde calamitatis suæ remedium habent, qui *Casus* sinistra, atq; inopinatos iracundè ferunt: qui incendia, furta, rapinas, spoliationes, naufragia *Fortune* suæ iniquitati ascribunt; neque vnquam desinunt, *Sortis* suæ temeritatem accusare, identidem dicentes: *malo se astro natos; Fortunam alijs*

B 5 bene

*bene velle, sibi nouercam esse; aut superos humana non curare.* Deo conscio, omnia contingunt; & sæpe quidem nostram patientiam exercente; sæpissimè autem nostram puniente impietatem. Quid *Fortunam* in jus vocant, quæ culpa caret? quid de *Casibus* queruntur, qui humani sunt, & fiunt, sicut fieri solent; immò sæpe etiam, sicut fieri debent? Quid *Fatum* odiosum esse dicunt, quod eorum delicta non præcedit, sed sequitur? Fortasse enim infelices esse meruerunt? aut, si dispositio illa seriésque causarum, absque eorum peccato, miseras illis aduexit; non aduexit, vt fierent impatientes, sed vt occasionem haberent virtutis exercendæ. Itaq; cum talia incidunt, summi Gubernatoris laudent bonitatem, qui eos aduersis *Casibus* vult erudire, vt Hercules, aut potiùs Iobi & heroës patientiâ clari fiant, aut, ne nimium secundis rebus se se efferant atque insolescant. In hunc finem *Fortuna* est

Horat. l.  
c. 35.

*Præsens vel imo tollere de gradu*

*Mortale corpus, vel superbos*

*Vertere funeribus triumphos.*

Quid ais, Poëta? non *Fortuna*, aut *Antij Diua*, sed *Deus* est, qui superbis resistit, eóque

que

que, cum merentur, deijcit; humilibus autem dat gratiam. Ille est, qui, ab initio, *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* **Luc. i. 52.** Non *Casus* id fecit, sed Deus, per *Casum*. Quare qui *Casum* accusant, mordent, lacerant, cani sunt similes, lapidem inuadenti, cum non videt eum, qui proiecit. Itaque si *Casus* in pœnam est, iudici ascribite; si in gratiam, ascribite benefactori, & exclamate: *Commoneatur à facie eius vniuersa terra:* **Psal. 99. 6.** *dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.*

§. III.

*Iosephi Patriarchæ, & Saulis regis Fortuna à Deo gubernata.*

Vultis videre regnum eius? Vt olim, per ipsum mare, duxit Israëlitas in terram sanctam; ita quotidie adhuc homines, per medios fluctus, per tumentes procellas, per breuia & Syrtes; per prosperos & aduersos casus, ducit ad portum æternæ felicitatis. Nunquid enim innocentissimum Iosephū, per inuidiam, per odia, per coniurationem insidiâsque, & immites fratrum manus, per cisternam, per seruitutem, in quam, pro mancipio venditus est; per impurissimæ leænæ & leænæ calumniam, per diuturnum carcerem (nam tribus annis in custodia fuit deten-

Isc. Sa-  
lian. An-  
no Mūdi  
2326. &  
An. 2317.

detentus) denique per ingratiſſimi pincer-  
næ obliuionem, vexatum, probatūmque  
duxit? Et quò, per tot casus, duxit? ad  
summum penè culmen dignitatis. Nam fra-  
trum terror, patris nutritor, AEgypti Ser-  
uator, regi proximus fuit. Ita, de mala *For-*  
*tuna*, in bonam translatus docuit nos, di-  
uinæ Prouidentiaē bonitatem, etiam in tri-  
stissimis *Casibus*, non defuisse. Quò celsius  
turris educenda est, eò profundiora neces-  
saria sunt fundamenta. Extollere Iosephum  
voluit Deus; vt in altum efferret, profundè  
humiliauit. Magis splendent, quæ magis  
poliuntur. Quid quòd ea sunt Numinis iu-  
dicia, vt voluerit illos ipsos fratres, per eum  
viuere, qui ei mortem sunt machinati? *Mi-*  
*ſit ante eos virum: in seruum venundatus est*  
*Ioseph. Humiliauerunt, in compedibus, pedes*  
*eius: ferrum pertransijt animam eius, donec*  
*veniret verbum eius.* Non ergo impatiens,  
non pusillanimis factus est, in vinculis, Io-  
seph; non accusauit *fortunam* suam, non co-  
gitauit de laqueo; &, quod admirandum  
est patientiaē exemplum, cum pincernæ di-  
ceret: *innocens in lacum missus sum*, non ad-  
didit, cuius id culpâ, aut calumnia sit fa-  
ctum, neque impiam mæcham voluit diffamare;

Psal. 104  
17.

Gen. 40.  
15.

mare ; sed cetera Deo committens, generosa mente, expectauit, *donec veniret verbum eius*, fierétque, quod ei Dominus, per manipulos & stellas eum adorantes, prædixerat. Itaq; *eloquium Domini inflammauit eum*, vt spe inflammatus, neque *Fortunam* suam ex impatientia; neq; Deum suum, ex ignorantia, accusaret. Quare tandem, constituto tempore à temporis authore, *misit rex, & soluit eum, princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus sue: & Principem omnis possessionis sue.* Quis hoc fecit? Deus fecit: per varios casus fecit: deniq; per somnium Pharaonis fecit. Non liberauit illū carcere pater, qui existimabat mortuū: non fratres, qui de eo nihil ampliùs cogitauerunt: non pincerna ingratus, qui, plus quàm duobus annis, tam boni vatis immemor fuit. Quid facit Deus? somnium mittit regi. nemo intelligit. septem boues pingues & septem macilentæ, pincernæ memoriam refricuerunt, & Iosephum extra-xerunt è carceris squallore; maiorémq; fecerunt, quàm domi, apud parentes, vnquam extitisset. Hæ sunt viæ Domini. Quas qui non nouit, à Domino esse, nequaquam potest esse *sorte sua* contentus; qui autem per-spectas

spectas

30 Cap. II. Remedium patientie est,

1. Reg. 9. 3. spectas habet; *Casum* non tam *Casum*, quam diuinum consiliū appellat. Quale utique fuit etiam illud, cum Saul amissas asinas quærens regnū inuenit. Misit eum Cis pater, ut iumenta reduceret; at Deus misit, ut in regem vngeretur. Hic *casus* Sauli accidit, qui utiq; nesciuit, simul quæri asinas & coronas: at qui Deo *casus* non fuit, qui illi vnā viam ad vtrūque fecit. Agē igitur, quò nos *Casus* trahunt retrahuntque, sequamur.

Virg. 5.  
Æn.

*Quidquid erit, superanda omnis Fortuna  
ferendo est.*

§. IV.

*Casu usus Deus, ad artem medicam, & urbem  
erigendam; sicut & ad S. Martinum  
miraculose sanandum.*

Cælius  
lib. 14.  
cap. 13.

Sed videamus alios *Casus*, diuino iudicio; hominum consilijs aut factis intercedentes, qui vulgò temerè, aut fortè fortuna existimantur interuenisse. Atque, ut à vero casu ordiamur, Syrna, Caria ciuitas à Podalirio est condita, quem casus extulit alienus. Is enim cum, in Caria, à caprarum pastore seruatus, ad Damathū regem, foret perductus, eius filiam nomine Syrnā tecto delapsam, misso ex utroque brachio sanguine

ne

nè, persanauit. Quod rex admiratus, generum sibi optauit, Chersoneso illi tradita: in qua Podalirius ciuitatem condidit, de vxoris nomenclatura, *Syrnem* appellatam. Syrna igitur cadendo Podalirij primùm artem, tum etiam *fortunam* extulit in sublime. Hoc consilium fuit Dei, fortè non meritam deijcere Puellam, vt medicum erigeret. Sic enim etiam de cæco à se illuminando, *respondit IESVS; neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.*

Ioan. 3. 9.

Qua de causa D. Martino quoque, è scalarum casu, multis vulneribus affecto, in sequenti mox nocte, Angelus contusi corporis ita liuores salubri vnguento deliniuit, vt, postero die, nihil omnino incommodi persentisceret: scilicet *vt manifestarentur opera Dei in illo;* aut vt ipsius quoque D. Martini sanctitas manifestaretur. De his talibus dici potest.

Bonfin.

lib. 5.

Dec. 11.

*Attulit ipse viris optatum Casus honorem.* nam & diuina potentia, & ipsi, in casu, sunt honorati. Sic sæpe consilium est Numini, honorem suum aut aliorum Sanctorum propagandi, cum se homines putant, casu ægrotare. Morbo siquidem adacti Diuorum patrocina implorant, &, non rarò, ad saniores

Virgil. 5.  
Æneid.



niolem mentem, per malè habitum corpus,  
reuertuntur. §. V.

*Casu pictor impetrat, quod arte atque ingenio  
non potuit. cur?*

Plutarch.  
de For-  
tuna.

Vult Deus nonnullis etiã ostendere, non ingenio, vel arte, eos consequi posse, quæ, præter opinionem, diuinâ ope, aliunde consequuntur. Itaque efficit, vt *casu* aliquo, atque *fortuna* habeant causam nominis & celebritatis. Pictorem memorant, equum cum pingeret, ac reliquis quidem partibus & coloribus successum habuisset, spumę verò, quæ ad frenum allidebatur, atque cum anhelitu excidebat, raritatem non probaret, in pingendo sæpius eã absterfisse; tandem iratum impegisse impatienter tabulæ spongiam, sic, vt coloribus erat infecta; quàm iniectam mirificè expressisse & reddidisse, quod optauerat. *Hoc artificiosum proditum est memoria vnum Fortune opus*, ait Plutarchus. At non tam *Fortuna* (quæ, cæca cum sit, pingere nequit) quàm Dei erat opus dicendum; Dei, inquam, per *casum*, humanæ artis superbiam erudientis, doctisquę, sæpe, in re leuissima, humanam industriam deficere, & insciam aliunde fulciri, vt indaget, vnde fulciatur.

§. VI.

§. VI.

*Casu jaculati, diuina manu directi.*

Huc spectat & illud, quod de puerulo memorat Olaus, cui itidem & *Casus*, & Deus insignem gloriam peperit; quando, hoste Groningam Frisonum urbem obsidente, artem parentis imitari volens innocens filiolus, igne in magnum tormētum bellicum immisso, caput illustrissimi ducis, in obsidione foris milites exhortantis, ferreo globo expulso, auulsit, & obsessis quietem peperit. Lusit tum puer, sed Deus serio egit, qui pueri manum in hostem direxit. Dixit olim Elisæus ad regem Israël: *Pone manum tuam super arcum. Et, cum posuisset ille manū suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Elisæus: Iace sagittam.* Sic nimirum Deus manum nos iubet admouere operi, sed manui nostræ manum ipse suam superponit. Nos arcum tendimus, Deus dirigit sagittam. Nostrum est telum jacere, Dei destinare. Quemadmodum, quando *vir quidem tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël, inter pulmonem & stomachum.* Sagittarius, casu, Deus confilio regem percussit. Nos quoque

Olaus  
Magn.  
lib. 9.  
cap. 28.

4. Reg. 13.  
16.

3. Reg. 22.  
34.

C omnes

Psal. 138

§.

omnes sæpe nescij, cum Deo, immò Deus nobiscum manum mouet. Ob quam causam ait Dauid: *Ecce, Domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Hoc est, quod vulgò aiunt: *Homo proponit, Deus disponit.* Sic sæpe non sagittam, sed verbum ex ore acutius mordaciùsque sinit aliquis euolare, quo eum non tangit, quem petit; cum interim alium vulnerat; vulnere indigentem, & ex eo ictu sapientem; aut certè cum ille ipse, qui petitur, dictum aliorum accipit, quàm fuerit à dicente destinatum.

## §. VII.

*Præter suam, sed non præter Dei mentem, plus efficit versu, Abbas, quàm destinat.*

Cæsarius

lib. 4.

cap. 55.

Ita accidit Monacho, de Ottirburg, quem diuina Prouidentia, mirabili casu, in ordine Religioso, conseruauit. Is à fallaci dæmone, & Mundi illecebris irretitus cogitauerat cœnobio, & Deo nuncium remittere. Ea, in cogitatione noctes dièsque versabatur. Stabat igitur aliquando, in choro, &, alijs matutinas preces cantantibus, ipse cantu abstinens, ac silens, mente secum agitabat, quo tempore, quòue modo, ordinem deferere vellet. Hoc orandi tædio totos matutinos

tinus cantus neglexerat. Ventum erat ad *Landes*. Ibi, dum Canticum Habacuc psalleretur (erat enim feria sexta) Abbas Philippus, eius postea rei testis, velut circitor, vigilias obibat, visitabatque fratres, an rei diuinæ animis adessent. Inter circumeundum, reperit Monachum illum, tentationi vacantem, & vice cantus, nictantem. Quid aliud censuisset, quam somno victum ac semisopitum esse? Igitur, tanquam ad dormitantem, se inclinans, versiculumque illum ipsum, qui eo temporis momento canendus erat, in aurem vocaliter admodum ingessit. Erat autem casu versiculus ille: *Egredietur diabolus, ante pedes eius.* **Habacuc** 3.  
 Hac voce, & ille ad se, & tentatio ab illo ijt. Existimans enim, Abbati cogitationes suas è cælo reuelatas, eaque propter, his Prophetæ verbis, castigatas; ipse quoque non aliter Prophetam intelligens, quàm si de eiusmodi desertore esset locutus, noluit maledictionem hanc abeundo mereri, & diabolum viæ suæ ducem habere. Itaque plagam suam Abbati patefecit, qui mirari satis non potuit diuinæ sapientiæ, per tam inopinatum exitum, medicinam.

SSO

C 2

§. VIII.

## §. VIII.

*Deus, per Novitium temerè loquentem, senem  
facit seria cogitantem.*

Noui & ego religiosissimum alioqui virum, qui, post quadraginta annos, in religione, exactos; tandem diuturnæ tentationi succumbens, è suo, ad ordinem PP. Carthusianorum transiit; ad suum tamen ordinem, paulo post, ferè simili ratione, postliminò reductus est. Nam eum, inter confabulandum, ut fit, juvenis tiro interrogavit, quàm diu, in priore vitæ statu, vixisset? cui ille, *Quadraginta*, inquit, *annis*. Tum novitius, Deus bone, inquit, quadraginta iam annis, inibi mansisti, & tanto tempore, non didicisti, per reliquum, quod tibi adhuc parum superest, vitæ porrò perseverare? Tetigit hoc dictum adeò hominem, ut illico suæ pristinae sese religioni restituerit; quod plane tiro ille efficere nequaquam cupiebat.

*Pl. 8. 3.*

*Ioan. II.  
31.*

Sed Deus, qui *ex ore infantium & lactentium* perficit laudem suam, sæpe per os aliud loqui volentium, aliud & ipse loquitur; sicut & per Caipham oraculum illud fudit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc enim à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius,*  
prophe-

prophetavit, quòd IESVS moriturus erat, pro gente, & non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

§. IX.

S. Bernardo obuiam missus clericus, à Deo sibi obuiam missum Bernardum experitur.

Quæ recensui, aliter dicta, atque aliter accepta, eò spectabant, vt profugos, ad semel piè inchoatum vitæ statum continuandum, reuocarent. Addam aliud, quod docet, Deum casu hominis vsum, ad eundem statum inchoandum: quod etsi ex mente loquentis euenit, euenit tamen planè, præter mentem eius, qui audiuit. Venerat aliquando in Germaniam S. Bernardus Abbas, ad pacem conciliandam, inter Lotharium regem Romanorum, & antecessoris eius Henrici nepotes. Venienti Albertus Moguntinorum Præsul, honoris ergo, Clericum, Masselinum nomine, obuiam misit. Hic, vbi Bernardum salutauit, inter cætera, dixit, *se missum à Domino suo, ad ei seruiendum.* Quod vbi audiuit Bernardus, paulisper eum intuitus, respondit: *Alius Dominus te misit ad seruiendum sibi.* Expauit, ad tam insperatum dictum, Clericus; & vbi se se

Cæsar.  
lib. 1. c. 8.

collegit, denuò dixit, ab Episcopo se missum. Cui Bernardus, *Falleris*, ait, *maior Dominus misit te Christus*. Tum demum intelligens Clericus, quorsum ea verba irent, ait: *Nempe Monachum me velle fieri existimas? Apage, cum tuo cucullo, quem nunquam somniaui*. Non passus est se repelli D. Bernardus, sed, quantumuis Clerico reclamante, perstitit, affirmavitque fore, ut cucillum Monachumque indueret; non quòd ipse, sed quòd Deus iter illius ita destinàrit. Dedit manus illico Clericus, atque, in eodem adhuc itinere, Mundo rem suam sibi habere jussu, Monachus Clareuallensis factus est. Hic *casu* se obuiam missum existimans Bernardo, magno Dei consilio, obuiam missus est. Supra memoratis duobus, aliò, & *casu* dicta, si vel iocantes ac mordentes, vel aliud monentes consideres; diuinà providentià tamen, ad constantiam & sanitatem profuerunt.

## §. X.

*Monet casu dicta, consilio Dei utiliter exceptit.*

Hieron.  
Plat. l. 3.  
de Bono

Notum est illud, sed ad rem facit, quod Hieronymus Platus, è Prædicatorum historijs, in hunc modum recitat. *Bononia, in primis*

primis ferè Dominicani ordinis iuitijs, vir magnus, clarusq; doctrina, cœlestium bonorum amplitudine, ad hanc (Religiosam) vitam illectus est. Cum enim Reginaldus, unus ex præcipuis illius familia, magno hominum concursu, & approbatione, verbum Dei prædicaret; Monetus (sic enim is appellabatur) de industria illius congressum & sermonem fugere consueuerat, multum sibi ab eo metuens. Tamen, in Stephani martyris natali, ad eius concionem, comitum importunitate, pertractus, primis statim verbis captus est, cum illam vocem exponeret: Ecce video cœlos apertos. Ita enim differebat, nunc quidem cœli portas ad beatitudinem patere, ita vt quiuis ingredi possit; qui autem negligentes essent, & qui Deo cor suum clauderent, ijs vicissim cœlos claudi, vt deinde intrare nō possint. Nec pluribus opus fuit; statim enim, corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à Religione, Religionis voluntatem concepit, finita concione, Reginaldum adijt, animam suam exposuit, eumque, voti etiam vinculo adinnecto, confirmavit. Alia mens fuerat Moneti, cum templum intraret, alia ipsius Reginaldi, concionantis atque de Moneto nihil cogitantis. Itaque casus fuit, vt vnus hoc ad po-

de Bonō  
stat. Re-  
lig. cap.  
38.



pulum diceret, veniente altero; & vt alter veniret, cū hoc ipsum diceretur, per quod Deus volebat, alioqui satis sibi cauentem, trahere ad Religionem. O quàm mirabiles hīc modi possent enumerari Vocationum; quibus homines Deus, nihil simile cogitantes, è seculi vanitate extraxit! Et aliquam- multos Platus cit. loco recensuit; quos nolo hīc recoquere: qui tamen, si rectè expendantur, ad diuinam Prouidentiam videbuntur spectare; tametsi alioqui, ratione hominum, planè meri *Casus* possent censerī.

## §. XI.

*Diuinum Iacobi Fortunati, è casu, omen.*

Marine-  
us l. 10.  
rer. Hisp.

Quis non Deum potiùs, quàm *Casum* agnoscat, in eo, quod Marineus refert, de Maria Petri Aragonum regis septimi vxore? quæ, antea sterilis, filium, quem tandem peperit, statim ad Ecclesiam misit, ante effigiem Virginis Mariæ, offerendum? Ingrediebatur, cum infante, magna caterua aulicorum, eo ipso tempore quo sacerdotes, qui matutinas preces cantabant (de aduentu, immo de ortu regij infantis ignari) incipiebant canere: *Te Deum laudamus*. Paulo post hinc tota pompa, ad aliam Ecclesiam, cū recens nato filio Regina, venit:

vbi

ubi itidem sacerdotes, nihil minùs, quàm de tali hospite cogitantes, sub ipsum ingressũ venientis turbæ, canere cœperunt: *Benedictus Dominus Deus Israel*. Omen hoc fuisse diuinitus missum, comprobauit rei euentus. Siquidem infans ille Iacobus appellatus, reliquos omnes virtute superauit; post etiam, ob res præclarissimè gestas, *Fortunatus*, dictus est. Haberemus fortè & nos plures *Fortunatos*, si plures ad templum, eiusmodi tempore, quo talia solent cantari, venirent. Sed pauci tam citò se è lecto tollunt, vt matutinis precibus possint interesse. Et putant aliqui, *Te Deum laudamus* cantandum esse, si vel accedant ad preces Vespertinas.

§. XII.

*Kenelmi mors & caussa, casu pariter, & miraculo patefacta.*

Per simili, sed infausto casu, cum pueri Kenelmi corpus Winchelcumbam veheretur, soror eius Queadrída, quæ eum, regnandi cupiditate, innocentem iusserat trucidari, ad illum Psalmi locum peruenit:

*Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduersus animam meam.* Hæc dum, de fenestrâ, noua Michol, irridendo, & ad psallentium læti-

Wilhelm.  
Malmesb.  
de gestis.  
reg. Anglor.

Psalm. 108.

tiam interturbandam, caneret, oculi, vi  
 diuina, cauis veneficæ orbibus euulsi illum  
 ipsum versum cruore notabilem fecerunt.  
 Fuit autem & illud luculentum diuini judi-  
 cij testimonium; quòd, postquam Kenul-  
 phus Merciorum rex Kehelmum Quendri-  
 dæ sororis fidei, fratrem ipsius, filium su-  
 um commendauit, eaque illum, per speci-  
 em venationis, in siluas eductum à satelli-  
 te obruncatum, tanquam nouum Poly-  
 dorum, inter fruteta sepultum, occultauit,  
 Romæ columba, super altare S. Petri, mem-  
 branam litteris Anglicanis exaratam deie-  
 cerit, in qua, ordine, & latrocinium, &  
 locus sepulturæ occisi Kenelmi detegeba-  
 tur. Sic omnia fiunt palam, sed nihil mi-  
 nus latet, quàm homicidæ: & innocentia  
*Casusq; Deusq; patrocinator.*

## §. XIII.

*Gregory Pontificis VII. & Conradi II. Impe-  
 ratoris futura potestatis a Deo ominosus  
 & efficax casus.*

Baron.  
 tom. II.  
 Annal.  
 An. Chr.  
 1073. n.  
 XVI.

De Gregorio Papa VII. refert Cæsar Ba-  
 ronius, eum fuisse patria Soanensem, è Tus-  
 ciæ ciuitate, natum humili loco, parente  
 fabro (quod ignominia causa aduersarij il-  
 li obiecerunt, cum tamen ipse Dei Filius fa-  
 bræ

brifilius voluerit dici) cùm puer esset, lusitaf-  
 se ad pedes patris ligna dolantis; atque tum  
 ex reiectaneis segmentis, cum nesciret litte-  
 ras, casu elementa illa formasse, ex quibus  
 simul coniunctis illud Dauidicum exprime-  
 retur oraculum: DOMINABITVR A MA-  
 RI VSQVE AD MARE; quo significaretur  
 (manum pueri ductante Numine) eius fore  
 amplissimam in Mundo auctoritatem. *Hac*  
*cunabula eius, & quod in puero praestensum est*  
*diuinitus signum*, ait Cardinalis. Vnà ergo  
 fuit videre, in puero casum, & à Deo vati-  
 cinium; quod nequaquam credendum est,  
*casu* accidisse, sed consilio diuino. Quem-  
 admodum & illud, quod Gotfridus Viter-  
 biensis de Conrado II. Romanorum Impe-  
 ratore refert his verbis: *Cuano dux erat, sum-*  
*mus inter Principes, sperans sine dubio Imperi-*  
*um obtinere: qui à ceteris principibus interroga-*  
*tus: Quisnam ad imperium aptior videretur?*  
*Respondit quasi derisorie, dicens: Nepos meus*  
*dux Conradus videtur ad Imperium aptissimus.*  
*Credebat enim hoc impossibile, & propterea eum*  
*nominauit. Quo audito, vniuersi laudant eun-*  
*dem Conradum, & eligunt eum. Dux verò*  
*Cuano contra dixit. Sed tamen praeualuit ele-*  
*ctio vniuersorum.*

Psal. 72.

Gotfr.  
 Viterb.  
 part. 17.  
 Chroni-  
 ci.

## §. XIV.

*Mirabilis Casus Sartoris furtum miraculosa  
scriptura prodentis.*

Addam, quod oculatus testis retulit, de Sartore quodam, qui iuuenis adhuc, in Austria, magistro suo 50. florenos subduxit, & cum illis abiens varias prouincias est peruagatus, donec & ipse Magistrum ageret. Abierunt à furti tempore 50. itidem anni. Accidit ergo vt grandæuus, in foro obambulet, pueris in tabula nugas agentibus, cretaque, haud scitè, varias lineas ducentibus, per modum litterarum. Accedit senex sartor, bis utique puer, scripturæque omnis ignarus etiam ipse iocari pingeret; incipit: & ecce nescius, quid scriberet, eleganter in yalua hæc verba exarauit: EGO SVM FVR. Quæ verba cum aliqui scholares pueri legere nossent, factus est repente clamor ingens iuuenilis turbæ sartorem FVREM FVREM proclamantis. Inde fama facta est, eū furem esse. Defertur res ad senatū, citatur, reus, examinatur. faterur priscū crimen. suspenditur leue quidem, sed triste pondus. Ita ludendo se prodidit; prodendo, crimen, in hac vita, luit, quod in alteram vitam dilatū, æternis ignibus nunquam satis expiasset. Scilicet

licet duplex & diuersa est ratio hominibus  
oculos aperiendi, per secundos *Casus*, & per  
aduersos, vt se, & Deum nōrint. Olim Io-  
nathas filius regis extendit *summitatem vir-*  
*ga*, quam habebat in manu, & intinxit in fa-  
*uum mellis*, & conuertit manum suam ad os su-  
*um*, & illuminati sunt oculi eius. Tobias au-  
tem felle piscis visum recepit. His utiq; du-  
plex modus illuminandorum hominum sig-  
nificabatur. Alij melle beneficiorum, alij  
felle tribulationis curantur, vt agnoscant  
eum, qui prosperitate potest homines rege-  
re, & aduersitate. *Cum prosperitas adest*,  
inquit S. Chrysostomus, *tunc maxime tem-*  
*pus orationum est*, lachrymarum, & compun-  
*ctiois*, & cautele. In tribulatione namq; ipsa  
*tribulationum natura vel inuitos nos corripit*,  
& modestos facit: ablatò verò tali freno, timen-  
dum, ne ad torporem declinemus: ne de nobis  
Psalmista dicat: *Cum occideret eos, quarebant*  
*eum*, & reuertebantur, & diluculo veniebant  
ad eum. Ita in vtrisque, prosperis &  
aduersis, *Casibus*, Deus do-

1. Reg.

14. 27.

Tob. ii.

ii.

S. Chry-  
sost. hō.

17.

minatur.



C A-

*CASVVM fortunatorum & infortuna-  
torum alia caussa, aliâq; exempla, vicif-  
situdinem inconstantiâq; docen-  
tia humana felicitatis.*

§. I.

*Cur Deus tot aduersos, in terris, Casus  
esse velit?*

**T** omnia sùsq; deq; eunt, in Mun-  
do? nulla est constantia? vexan-  
tur boni, mali exaltantur. Pe-  
rimit innoxios, & seruat multos *Fortuna*  
*nocentes?* Quia de caussa *Pittacus* *Mity-*  
*lene* templis scalam fecit, ad nullum alium  
usum, quam ut esset dedicatum donum, adum-  
brans fortune repentinos ascensus atq; descensus:  
ascendentibus quodammodo his, quibus fortuna  
aspirat: descendentibus verò, qui miseris pre-  
muntur. Rectè quidem *Pittacus*, si per for-  
tunam intellexit eas res, que fortuito viden-  
tur accidere, cum interea causis occultis di-  
uinitus dentur. Nam *Dominus* mortificat &  
uiuificat: deducit ad inferos & reducit. *Dom-*  
*inus* pauperem facit & ditat: humiliat & suble-  
uat, vel, sicut *Ausonius* loquitur: *Fortuna*  
*nunquam* sistit in eodem statu: Semper mouetur,  
*variat*, & mutat vices. Et summa in imum  
vertit.

*Ælian.*  
*lib. 2. va-*  
*riar. c.*  
*29.*

*1. Reg. 2.*

vertit, ac versa erigit. Quod si Pittacus ex hac rerum humanarum varietate Deam voluit procudere, quæ *Fortuna* appellanda sit, Deum & ipse ignoravit, cuius sapientissimæ potentia opus est, in Mundo fúsque deque ire res plurimas, & tamen Mundum conservari, & in tanta inconstantia, Vniuersum tamen constare. Quod autem vexentur boni & mali exaltentur, cæcodaemone quidem procurante, invidia est; at Numine permitte, benevolentia est, magnam inde virtutibus exercendis occasionem suppeditante. Idcirco enim, malus ille spiritus, ait Lactantius, in primordijs transgressionis non statim ad pœnam (quoad locum & alligationem in Inferno, non quo ad ignem, quo statim torqueri cæpit) detrusus à DEO est, ut hominem malitia sua exerceat ad virtutem: qua nisi agitetur, ni assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta. siquidem virtus, est perferendorum malorum fortis ac inuicta patientia. Ex quo fit, ut virtus nulla sit, si aduersarius desit. Huius itaq; peruersæ potestatis cum vim sentirent virtuti repugnantem, noménq; ignorarent; *Fortuna* vocabulū sibi inane finxerunt. Sapientius fuissent facturi, si Dei arcana, in talibus malis, penetrare, rerūque caducarum

Lactant.  
l. 3. di-  
uin. In-  
stit. cap.  
18.



Senec. l.  
1. epist.  
98.

carum fragilitatem agnoscere, indeque & modestiam, & patientiam, & fortitudinem, aliâque præclara opera exercere didicissent; cristâsque demississent, quas, in sublimi fortuna, nimium quantum erexerunt. *Sine alios observare volueris*, ait Seneca, (*liberius enim, inter aliena, iudicium est*) *sine te ipsum, favore seposito; & senties hoc, & confiteberis, nil, ex his optabilibus & charis, utile esse; nisi te contra levitatem casus, rerûmq; casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela, inter singula damna, dixeris: DIIS ALITER VISUM EST.* Visum est enim, non oportere esse, in hac vita, felicitatis stabilitatem.

## §. II.

*Fortuna rota, & rerum humanarum instabilitas quam utilis sit, ut sapere discamus?*

Nam, ut taceam, sicut, in pictura, differentia colorum; in Musica, vocum, varietas; in theatro, personarum multitudo gratiam habet; ita & in hoc Vniuerso venustâ esse rerum mutabilitatem; utilitas præterea maxima *Casibus* inest. Fastidiretur Mundus, si omnia vnus campus essent. Sunt igitur *montes*, in quos ascendemus; sunt *valles*, in  
quas

quas gradum reuocemus: neque in plano aliquis tam suauiter quiesceret, si in alto non adeò fatigaretur. Sic euenit in hominum vita; ibi ipsi morbi commendant sanitatem; calamitas illustrat felicitatem. Hæc rota est *Fortune*; hæc scalæ Pittaci; immò & Iacob Patriarchæ, ni fallor, qui *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoq; Dei ascendentes & descendentes, per eam, & Dominum innixum scale.* Nempe Domini hoc est opus; sic ad eum ascendendo itur; per prospera, per aduersa; per summa, per ima; & sæpe descendendo ascenditur, sæpe descenditur ascendendo. Multi enim pereunt promoti ad altas dignitates: multi corriguntur & recti fiunt, dū desinunt esse rectores. Ipse Nabuchodonosor, nisi comparatus iumentis insipientibus, ad pecudes, abiectus fuisset, nunquam sapere didicisset. Hac ipsa de causa Lothari<sup>9</sup> & Isaacius Impp. Vgo Cœnredus, Rachis, Sanctocopius, Petrus Aragonius, alique complures reges à sceptro & purpura, ad vilem tunicam & solitariam cellam descenderunt, vt ad cœlestem coronam eleuarentur. Nec alia de causa, Carolus V. folio relicto, se abdidit, quàm vt, in

D  
terris,

Gen. 28.

12.

Baron.

an 835.

& anno

1059. &

750.

Plat. l. 2.

de bon.

stat.

Rel. cap.

26.

Beda lib.  
5. hist.  
cap. 20.

Ælian.  
l. 4. va-  
riar. c. 8.

Ibid.

Quid. l. 4.  
de Pont.  
eleg. 1.

terris, se humilians, in cœlis exaltaretur. Credo, ipsum orbem terrarum volubili *Fortuna* globo idcirco similem esse, vt intelligamus, nihil in eo constare; nec figi in eo gradum posse. *Quis tam stupidus est*, inquit, ille, qui *instabiles & repentinas fortune commutationes* ignoret? Sane *Lacedæmonij*, cum *Thebanorum* domini essent, ad eò rursus ab illis fuerunt subacti, vt *Thebani* non solum in *Peloponnesum* peruenirent, verum etiam *Eurotã* transirent, & *Lacedæmoniorum* terrã deuastarent, & propemodum ciuitatẽ etiam ipsam cepissent, nisi veritus esset *Epaminondas*, ne uniuersi *Peloponnesij*, conspiratione facta, pro *Sparta*, dimicaret. Sic *Dionysius* tyrannus, sic *Amyntas* Macedo, sic *Dion* *Hipparini* filius effecit, vt, in quo statu ipse fuisset antea, in eum iam sue calamitatis auctorem detruderet.

*Quid facis, ah demens? cur, si Fortuna recedat,  
Naufragio lachrymas eripis ipse tuo?  
Hec Dea non stabili, quã sit leuis, orbe fatetur,  
Qua summum dubio sub pede semper habet.  
Quolibet est folio, & quauis incertior aura,  
Par illi leuitas, improbe, facta tua est.  
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,  
Et subito Casu, quæ valuere, ruunt.  
Diuitis audita est cui non opulentia *Croesi*?*

*Nem-*

Et casuum varietas, quid doceat? 51

Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.  
Ille Syracusa modò formidatus in urbe,  
Vix humili duram reppulit arte famem.  
Quid fuerat Magno maius? tamen ipse rogavit  
Submissa fugiens voce clientis opem.  
Cuiq; viro totus terrarum paruit orbis,  
Indignus effectus omnibus ipse magis.  
Ille Ingurthino clarus Cimbròq; triumpho,  
Quo victrix toties Consule Roma fuit:  
In ceno Marius iacuit, cannàq; palustri,  
Pertulit Et tanto multa pudenda viro.  
Ludit in humanis diuina potentia rebus,  
Et certam præsens vix habet hora fidem.

§. III.

Fortune inconstantia metum modestiamq; felicitibus inicit, miseros autem in spem vocat secutura mutationis.

Hæc felicitatis mutatio superbiam domat, frenatque insolentium immanitatem. Sesostris rex Egyptiorum victorijs illustris, vt Paulus Diaconus refert, currû aureum preciosissimis gemmis ornatum sibi construxit: cui insidens à quatuor regibus denictis planstra subeuntibus se trahi passus est. Cum, festo quodam die, regum vnus, oculis conuersis, continuo retrospiceret, rotæ volubilitatem intuens, Sesostrisq; causam respectus percontaretur, respon-

D 2

disse

Paul.  
Diacon.  
de reb.  
Rom. lib.  
17.

Eccli. 38.  
23.  
Brufoni-  
us l. 2. c.  
37. ex  
Herod.  
l. 1.

disse fertur: *Cum stupore admiror Rotam, cum eam instabili modo ferri, atq; aliàs aliter volui, & nunc quidem sublimia demittentem, rursus demissa sublimantem conspicio. Sesostris, ubi dictum illud intellexit, statuit, ne illi posthac currum traherent. In hac igitur felicitatis infelicitatisq; rota, & metus est felicitium, & spes miserorū. Quicumq; elatus est, cuiusq; omnia ad votum fluunt, quoties mendicum, quoties captum, quoties miserum aspicit, putet illum sic loqui: *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Hæc qui audit, non præsumit: qui spernit, cadit. *Cræsus consultus à Cyro de bello suscipiendo contra Tomyrin reginam Massagetarum: Si tibi, ait, esse videris immortalis, nihil est opus, ut meam tibi sententiam dicam. Si verò te quoq; agnoscis hominem, illud imprimis discito, talem humanarum rerum circum esse, qui rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinit. Cyrus imperandi libidine accensus Cræso non paruit. Itaq; in eo bello perijt. Cautior est, qui se meminit esse mortalem: & , qui se hominem esse nouit, nihil humani scit à se esse aliènum. Quidquid ergo acciderit sic sapienti, non est inexpectatum, cum & illud præceptum teneat: *Fortunam reuerenter habe;*  
& fi-**

& fictam hanc Deam sciat globo insistere; aut rotæ instar volui. Sic composito, ait Sapiens ille, nihil accidet. Sic autem componetur, si, quid humanarum rerum varietas possit, cogitauerit antè, quàm senserit: si & liberos, & coniugem, & patrimonium sic habuerit, tanquam non utiq; semper habiturus, & tanquam non futurus, ob hoc, miserior, si habere desierit. Calamitosus est animus futuri anxius, & ante miseras miser, qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usq; permaneant. Nullo enim tempore conquiescit, & expectatione futuri, presentia, quibus frui poterat, amittet. In equo est autem dolor amisse rei, & timor amittenda.

lib. 10  
ep. 98.

§. IV.

*Fortuna remedium est, mala sua non putare  
maiora esse malis aliorum.*

At mala contingunt, & saepe, quæ omnium sunt molestissima? Iterum hîc errant homines, qui planè sua maximè æstimant, & ibi, quod dicitur, ubi dolent, manum habent. Nam sicut inuidorum oculis

*Uberior seges est alienis semper in agris,*

*Vicinumq; pecus grandius uber habet,*

ita vicissim mala nostra, mala maxima putamus: & quocunq; corporis membro vl-

Val. Ma-  
xim. lib.  
7. cap. 2.

cus hæret, putamus esse loco incommodis-  
simo. Quia hominem cæcus amor sui non  
finit rectè iudicare. Solon, qui *neminem,*  
*dum adhuc viueret, beatum dici debere arbi-*  
*trabatur; quod ad ultimum vsq; fati diem an-*  
*cipiti fortunæ subiecti essemus: idem aiebat, si in*  
*unum locum cuncti mala sua contulissent, fu-*  
*turum, ut propria deportare domum, quàm ex*  
*communi miseriarum aceruo portionem suam*  
*ferre mallent. Quo colligebat, non oportere nos,*  
*quæ fortuito patimur, præcipua & intolerabilis*  
*amaritudinis iudicare. Optimum ergo dolo-*  
*ris remedium est, maiores aliorum dolores*  
*expendere; morbum cum morbo; pauper-*  
*tatem suam cum paupertate aliorum com-*  
*parare: denique seriò cogitare, quid, qui*  
*in inferno cruciantur, sustineant. Quid, mi-*  
*ser, quiritaris? forsitan hic dolor tuus tibi*  
*est, loco æternorum suppliciorum? Nimis*  
*felices vereri debent, ne de illis dicatur: re-*  
*ceperunt mercedem suam, in vita sua.*

§. V.

*Sapientum est, omnem Mundi felicitatem suspectam habere.*

Thom. de  
Kemp.  
lib. 3. de

Vnde, qui prudenti iudicio calculum sub-  
duxerunt, *Fortunam*, quæcunq; ea demum  
esset, magis timuerunt blandientem, quàm  
sæui-

favientem. Ipse Deus ait: *Fili, magis placet mihi patientia & humilitas, in aduersis, quam multa consolatio & deuotio, in prosperis.* Et Christi prudentes altè cordi suo infigunt illud: *Extrema gaudij luctus occupat; multoque magis istud: Va vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.* Præstat, post luctum, gaudia, quam post gaudia, luctum expectare. Philippus Macedoniae rex, cum, vno eodemque tempore, tribus nuncijs latissimè exhilaratus fuisset, intellexissetque, equestri cursu, quadrigas suas Olympijs vicisse; Olympiadem vxorem Alexandrum filium peperisse; Parmenionem deniq; ducem suum Dardanis in pugna superiorem fuisse; sublatis in coelum oculis: *At tu, inquebat, Fortuna, pro tot bonis, leui aliquo nos affice malo.* Adeò suspecta illi fuit nimia felicitas, vt velut nimis melleam promulsidè absynthio censuerit temperandam. *Theramenes, (qui Athenis in XXX. tyrannis fuit) cum in quadam domo versatus, inde prodisset, illa subito lapsu corruit. Atq; cum Athenienses alij aliunde ad eum confluerent, & inopinata saluti congratularentur: ille, præter omnium opinionem, respondit: O Iuppiter, cuinam me tempore reseruas? Nes multò post à reliquis tyrannis de*

Imit. cap.  
57.

Prou. 14.  
13.  
Luc. 6.  
25.

Plutarchus in  
orat. consolator.

Ælian.  
lib. 9. variat. c. 21.  
Plutarchus in orat. Consolat.



medio sublatius est, coactus cicutā bibere. Quam  
 sapienter facerent, qui exemplo Therame-  
 nis, inter lāta, tristium meminissent! &  
 cum Ennio dicerent: *Nimum boni est, cui nil  
 mali est*, quam sententiam etiam M. Tullius  
 magni aestimavit. *Ne dicas: sufficiens mihi  
 sum: & quid ex hoc pessimabor? In die bonorum,  
 ne immemor sis malorum. Quantum autē ma-  
 li metuendum sit ijs, quos perversa vulgi opinio  
 putat felices, quia opibus affluunt, illo exemplo  
 discimus, inquit Marulus, quo traditum est  
 (à Paulino in vita S. Ambrosij) Ambrosium  
 Episcopum, cū apud diuitem quendam, hos-  
 pitandi gratia, diuertisset, & ille se nihil un-  
 quam, in vita, aduersi passum iactaret; è ve-  
 stigio, cum suis, recessisse, dixissetq;, ideo se inde  
 fugere, ne, unā cum homine perpetuis prosperi-  
 tatibus uso, simul pereat. Haud ita procul ex-  
 cesserant; & respicientes, vident ades illas, cum  
 omnibus, qui ibierant, terra hiatu iam absor-  
 ptas. Quam ergo melius agitur cum ijs, qui  
 identidem seculi huius premuntur angustijs, ut  
 illic felicitatem querant, ubi casus timeri non  
 possit? Hæc ille, quia, ut vel Ethnicus ait:  
*Non est summa felicitatis nostræ in carne po-  
 nenda. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat: so-  
 lida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec  
 decrescere quidem ac minui.**

§. VI.

Eccli. II.  
27.M. Ma-  
rulus lib.  
5. cap. 3.Senec.  
lib. I.  
ep. 74.

§. VI.

*Hugolini Girardesci infelicissima  
felicitas.*

Non præteribo hîc luculentum eiusce rei exemplum, quod Aemilius & Platina memoriae prodiderunt, de Hugolino Girardesco, ciue Pisano, Guelfarum partium principe, qui, contraria factione, partim pulsa, partim percussa, eò potentiae domi peruenit, ut nutu omnia administraret, patriaeq; dominus & esset, & haberetur. Festiuo suo die, natalitia dabat: inuitaueratque, ad conuiuium, regio apparatus, factum, omnes amicos suos. Inter epulandum, Fortunam suam ipse fando mirificè extulit, atq; ut laudibus suis alieno testimonio coronidem adderet, quendam ex intimis amicis Marcum interrogauit: *Quid tandem sibi deesse arbitraretur?* cui Marcus Philosophicâ libertate, *Sola*, inquit, *Numinis ira procul diuq; abesse à tam secundis rebus non potest.* Dictum graue, sed verum fuit. Nec enim multò post, Guelforum viribus confescentibus, Gibellini, arreptis armis, aedes eius expugnauerunt: vnum è filijs & nepotibus vim arcere conatos occiderunt: ipsum, cum duobus filijs & tribus

Æmil.  
lib. 8.  
Platina  
in Nico-  
lao III.

bus nepotibus, comprehensum atq; in turrim conclusum, fame dirissima mori coëgerunt. Hic est fortunatorum exitus; vt meritò metuere habeant, *Numinis iram procul diuq; abesse à tam secundis rebus non posse*, quibus omnia ad votum fluunt; quemadmodum spe magna se solari possunt, qui aduersis innocenter atq; immeritò exagitantur. Vertitur enim *Fortune* rota, vna parte auream, ferream altera habens curuaturam: vt quæ hodie sunt summa, cras fiant ima; & nunc prospera, paulò post mutantur in aduersa. Quali in rota circumuoluti sunt diues ille purpureus epulo, in summo folio, accubans, & vlcerosus ante imas fores iacens Lazarus. Nam paulò post, ex infimo loco, Lazarus in Abrahamæ usque sinum est eleuatus. Tumidus autem ille usq; in Infernū est deiectus. Hanc rotam Abraham sic expressit: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hîc consolatur, tu verò cruciaris.* Hanc metamorphosin metuant, quotquot, de ijs, quæ opinione tantum bona sunt, deque *fortune* sibi fauore blandiuntur. *Quidenim stultius, quàm aliquem eo sibi placere, quod ipse non fecit? omnia ista nobis*

Luc. 16.  
35.

Senec.  
loc. cit.

accedant, non hereant; si abducantur, sine ulla nostri laceratione, discedant. Utamur illis, non gloriemur: & utamur parcè tanquam depositis, apud nos, & abituris. Quisquis illa, sine ratione possedit, non diu tenuit. Ipsa enim felicitas se, nisi temperat, premit: si fugacissimis bonis credidit, citò deseritur, & ut non deseratur, affligitur. Paucis deponere felicitatem molliter licuit. Ceteri cum his, inter quæ eminuere, labuntur, & illos degravant ipsa, quæ extulerant. Nemo igitur magnæ fortunæ credat. Nunquam immodica duraerunt. Omne lætum, tandem admiscet fletum. In orbe nihil constat. Placidum ventis mare subitò amat fieri procellosum. Vna hora cœlum sudum videt ac turbidum.

§. VII.

*Duorum Coniugum felicissima infelicitas.*

Sed & rursus, post nubila, Phæbus; post magnos imbres, magna solet remigrare serenitas. Accidunt sæpe tristia, quæ lætissimo fine terminantur; ut Deus virtutem vno tractu probet, & coronet; discantque, qui in angustia sunt, animum non despondere, sed potiùs dicere: *Tu es refugiũ meũ à tribulatione*: itẽmq;: *Educes de tribulatione animã meam*. Pulcherrimus virtuti stimulus est, & castimo-

Psal. 31. 7.

Psal. 142.

119

Liu. lib.

2.

Matth.

18. 28.

stimoniam constantiamque, nec non admirabilis fortunæ, si ita loqui licet, exemplum, quod, ante viginti circiter annos, Roma ad nos perscriptum, certis que testibus, enotatum accepi. Erat tum Romæ par coniugum, quale fuit, cum Collatinus & Lucretia viveret. Sed, quia non solet esse æqualis virtus & Fortuna, pectus latum, res angusta ambobus domi erat. Superuenit egestati annonæ caritas. Igitur ad summam inopiam redacti, ut vitam sustentarent, æs alienum contraxerunt. Mos est ijs, qui lucrum student mutuo multiplicare, ut certum solvendi terminum præstituant, usuramque aut mensuram, aut annuam iubeant pendere; quod ni fiat, extrema minantur, instar illius, *qui tenens suffocabat debitorem* dicens: *Redde, quod debes, patientiamque rogantem misit in carcerem, donec redderet debitum.* Ad hunc modum etiam tunc miseris illis evenit. Cum enim, ad constitutum diem, debitum expungere non possent, pecuniâsque accipere magis, quam expendere tempus & necessitas flagitaret, maritus in vincula ductus est, ut captus esuriret, vxore domi famem perferente; cui orbitas, quam inedia maiorem luctum imposuit. Itaque, per Urbem,

hem, fursum ac deorsum sollicita cucurrit, omnemque, quod dicitur, lapidem, mouit, vt pecuniam conquireret, pro coniuge redimendo. Periculosum est feminis, in publico comparere, aut vagari per ciuitatē. Quare & ista, dum nummos quæsiuit, in adulteros incidit, quanquam magis pudicitia illius testes futuros, quàm corruptores. Horū igitur vnus, cui non ignota erat patris familias absentia, intempesta nocte, adest; ferit ianuam; iubet aperiri. Pro ianua, illa fenestram referat, & quia virum fores pulsantem neque de voce, neque de facie poterat noscere, modestè excusat, nunc tempus non esse conueniendi, solam se domi agere; marito absente, non decere alium admitti: si quid illi sit negotij, clara die veniat; nihil honesti cogitari de ijs, qui id noctis negotiantur. Hæc illa & fortiter, & prudenter est locuta, si dicta constantiã habuissent. Nam, qui fores pulsabat, pertinaciùs arietare, quàm illa resistere, institit; & verò manus ac minas simul adhibuit. cum enim necquidquam postes effringere tentasset, ædes totas in cinerem ituras antè, quàm dilucularet, minitatus est, nisi vellet ostium referare. Antiope luctum vidisses. Trepidare illa, & quid

Plaut. in  
Capteiu,

quid faceret, ambigere; si pessulum reduce-  
ret, pudicitiam; si clausum teneret, domum  
ac vitam amissura. Quid speres? foemina  
fuit. cessit. hominem ignotum sola admisit;  
Lucretia futura, si Penelope esse non posset;  
illud secum reputans: *In re mala, animo si bo-  
no utare, adiuvat.* Nec tamen se se dedere  
illico statuit. Igitur ingressus nefarius ho-  
mo, continuò illi vitium obtulit; quod illa  
recusavit adeò vehementer, vt, Christiana  
generositate, mori mallet, quàm foedari.  
Vterentur & aliæ foeminae simili constantia,  
ni vinci mallent. Vicit ista, quia restitit. Ho-  
stis ergo non hostis, ne sine crimine abiret,  
Furine voluit litare, quando Veneri non po-  
tuit. Quare quidquid domi pecuniarum,  
vestium, vasorum habeat, apportare actu-  
tum iubet. Cui illa. quid, miser, ages, in-  
quit? paupercula sum, *hoc quod induita sum,  
summa opes*: cur vacuam vis' spoliare? In-  
stat ille; &, ni nummos afferat, pugnos in-  
tentat, verbera, vulnera, funera, incendia  
minatur: & addit vultum testem, se non io-  
cari. Tanto illa perculsa metu fatetur, se  
duos aureos habere reconditos, præterea ne  
teruncium quidem, eosque ipsos ait, se, in  
mariti redemptionem, mutuos accepisse. Hos  
ipso

ipfos promere iubet. Promit illa; sed quia non admodum promptè, idcirco interrogat trifurcifer: An nullum domi funem habeat? eo utiq; illi animam præclusurus, quod quidem facilè ærumnosissima fœminarum suspicari potuit; sed, quia mors vnicum solamen erat tam nefastæ noctis, non censuit hunc celandum. Dixit itaq; funem sibi esse, sed alium nullum, nisi quo asellus, in stabulo esset alligatus. Mandat tenebrio, ad stabulum se adducat. facit mulier, quod erat iussa. Ibi, dum scelestus funem impeditiùs dissoluit, subit animum feminæ, suavius esse occidere, quàm occidi; neque id legibus aut diuinis, aut humanis vetari, si quis vitam suam aliter tueri non possit, quàm alterius nece. Dum hæc talia cogitat, prægrandem clauam, qualis vel Herculi suffecisset, ponè videt parieti acclinatam, quam utraq; manu arreptam, improbo capiti, à tergo, validissimè impingit. Cadit ille primo ictu; sed nondum exanimatus nititur de nouo se in pedes erigere, surgentem illa altero fulmine prostermit, semianimèmq; penitus conficit, ausùque feliciter potita, se & sua asserit in libertatem. Cadauer, ea nocte, prope asini stratum, permansit, ut  
eius



eius contubernium haberet, cuius sepulturam meruisset. At mulier, quæ iam insperatam vitam viuebat, ipsâ suâ victoriâ, tristabatur. Ecquis enim, inquiebat, credet veritatem narranti? An non facti rea agar, & de homicidio conuicta vitam, cum fama, amittam, quam domi occisa honestiùs posuissem? sed Deo fidendum, qui me vtique, apud iustum tribunal, tueri poterit, quando domi contra tam iniustum defendit inuasorem. Sic nox abiit. Reducto die, adit Magistratum, &, quid domi actum sit, refert. Mittuntur ad ædem eius, qui cadauer inspiciant. Accurrunt multi, & mortuum viuûmque asinum simul reperiunt. Diu nemo inueniebatur, qui nosset occisum, adeo mors vultum mutauerat. Tandem tamen vnus superuenit, qui varijs indicijs testaretur, hunc ipsum, ante annos aliquot, Roma proscriptum, atque in eius caput trecentos aureos constitutos. Defertur res ad Senatium, inquiritur, & in tabulis publicis, nomen, & crimina, & signa rei reperiuntur; neque ampliùs dubitatur. Decernunt igitur feminæ, quòd perditissimum hominẽ è medio sustulisset, pactos trecentos aureos exsoluendos. Habuit ergo fortissima hæc Iudith,

dith,

dith, unde & debita & maritum solueret, & vitam deinceps honestè sustentaret, tantò utique iucundiores, quantò è maioribus procellis emerferat.

§. VIII.

*Pertinax Polycratis felicitas, quàm tristem sortita sit exitum?*

Sic ludens in orbe terrarum diuina sapien-  
tia, tristia lætis, lætæque tristibus permiscet;  
ut neque miseri desperent, neque felices in-  
solescant, & , contra Pindari præceptum,  
Dij esse velint.

τῶν γὰρ ἐν βροτοῖς

ἄκ' ἔστιν ὁδὸν διατέλεις εὐδαιμονεῖν.

*Siquidem vniuersis rebus in mortalium*

*Nil cōtinenter & undecunq; prosperum est.*

Nam etsi caelestes omnia possunt, tamen fallit  
illud prouerbium: *semper feliciter cadunt Io-  
nis taxilli.* Quanquam enim ita Deus qui-  
busdam fauet, ut vel inuitos beare velle vi-  
deatur, tamen neq; tunc est insolescendum.  
De Polycrate Samiorum tyranno proditur,  
(quod & Nazianzenus versibus complexus  
est) cum summa frueretur felicitate, admo-  
nitum ab Amasi Aegyptiorum rege, ut ali-  
quo saltem, quamuis leui incommodo, tan-  
tā interrumpere fortunæ tranquillitatem.  
Annulum ergo in mare proiecit, quem ha-

E bebat

Prou. 8.

31.

Pindar.

Hymn. 5.

Olym-

piacō.

Euripi-

des in

Supplici-

bus.

Herodo-

tus lib. 3.

Sabelli-

cus lib. 7.

Ænead.

2.

bebat charissimum, eiusque iactura vehementer dolere videbatur. Paulò post piscator quidam captum piscem Polycrati dono obtulit, quo exenterato, ille idem annulus in visceribus repertus est, quem Polycrates abiecerat, quasi non posset esse infortunatus. Sed nec illud ipsum quidem bonum omen fuit. Quare ibi tunc Amasis Polycrati amicitiam renunciaffe dicitur, cum apertè deprehenderet, fortunam, ad grauiores casus, eum reseruare. Nec defuit euentus. Ab Oræte enim Darij regis præfecto, in summo Mycalensis montis iugo, cruci affixus est. Eò nempe vsq; Fortuna illum extulit, quæ à Comicis initijs orsa, in fine paratragædiaretur. *Fronti nulla fides.* Si venit, renidente vultu, cogita, cū furore abituram. Si, cū alijs sæua est, tibi parcit; suspectam habe clementiam: nam moræ vsuram exiget. Est sæpe fauor Dei, mala euadere. Maius tamen diuini amoris indicium est tribulatio, quàm prosperitas. *Quoniam, per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei.* Vnde, *quem diligit Dominus, castigat.*

Añ. 14.

21.

Hebr. 12.

6.

## §. IX.

*In aquas lapsa, feliciter reddita.*

Non tamen ita semper castigat, vt nullis  
lætis

lætis eiusmodi euentis exhilaret. Qua de  
caussa S. Benno clauem in aquas proiectam,  
à pisce; S. Franciscus Xauerius Crucem in  
mare prolapsam; à cancro recepit. Quæ ta-  
lia; sine Numine, non fieri, ostendit illud,  
quod Christus Petro dixit: *Vade ad mare, &*  
*mitte hamum: & eum piscem, qui primus af-*  
*tenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies sta-*  
*terem.* Sciuit ergo Christus & staterem in  
ore piscis; & piscem eum primum ascensu-  
rum; & fecit, vt primus ascenderet; & for-  
tasse staterem in ore piscis solo verbo for-  
mauit. Illius ergo, non *Fortune*, fauore  
hæc talia accidunt; ad iuuandos homines,  
in tempore opportuno, aut consolandos; si  
quidem ipsi fauorem non repudient, aut in  
odium conuertant benefactoris; vel *Fortu-*  
*næ bonæ* munus non sinant ab alijs euerri.

§. X.

*Contus, seu stupendus Fortune baculus à S.*

*Columba pauperi alendo datus.*

Omnem admirationem superat, quod S.  
Adamannus Scotus, de S. Columba itidem  
Scoto, qui circa annum Domini 565. flo-  
ruit, simplici; sed veraci stilo commemo-  
rat. Ad S. Columbam Presbyterum, in Sco-  
tia versantem, aliquando venit plebeius ho-

S. Ad-  
man  
Scot. l. 2.  
de vita S  
Colum-  
bæ. c. 24  
Et Hen-  
ric. Ca,

nis. tom. mo, eius regionis incola, quæ stagno Apo-  
 s. Antiq. rico est adsita, extrema egestate pressus.  
 Lect. Quippe qui neque se amplius, præ inopia,  
 ne dum vxorem ac liberos, poterat susten-  
 tare. Miseratione tactus Columba, paupe-  
 rum pater, I, inquit, contum tibi, in vici-  
 na silua, succidito, & actutum ad me affer-  
 to. Paret ille, & fustem bene magnum ro-  
 bustumque festinatò apportat, Sanctoque  
 viro porrigit. Eum ille cultro inspicat, ma-  
 nu benedicit, atq; precantibus verbis sacrat.  
 Sic præparatum pauperculo, eleemosynæ  
 nomine, reddit, cum dicto: Hoc veru dili-  
 genter asserua, quod neque homini neque  
 pecori damnosum fore, scito. Porrò, pro  
 nassa, pro hamo, pro fuscina erit; nam fe-  
 ras, bestiâsque aquatiles & volatiles, & sil-  
 uestres, esui idoneas tibi figet capiétque ad  
 fatietatem. Neque deerit tibi familiæq; tuæ  
 esca, quàm diu fudes tibi hæc non deerit.  
 Quid mendico tunc lætius fuit beatiusue?  
 Non poterat se capere, præ lætitia, ex Co-  
 dro Cræsus repentè factus. Currit lætus do-  
 mum, non iam baculum, sed virgam diui-  
 nam secum afferens, vxorique opes suas ex-  
 ultabundus ostendit. Mox in siluam abit,  
 atq; loco ab omnibus vijs remoto, in terrâ  
 defi.

defigit, eaque nocte, ita depactum veru relinquit. Die reuecto, spe ardens, ad eundem locum recurrit, & indutum eo miræ magnitudinis ceruum reperit, assatum iam utique, nisi ignis defuisset. Ad hunc modum, singulis noctibus aut diebus, prædam inuenit conto hærentem, iam ceruum, iam aprum, iam damam, iam aliam feram culinae maturam. Neque verò ferinis carnibus suam tantùm familiam, sed totam etiam viciniam abundè satiauit; cui, quod propriæ necessitati superfuerat, haud exiguo lucro, vendidit. Multi mortales non sunt suæ felicitatis patientes; sed, cum illis bellè est, *Fortuna* ianuam obstruunt, non, ne exeat, sed ne intret. Quamobrem & huius viri vxor id facta marito, quod Eua olim Adamo, utique inuidia artibusq; antiqui serpentis, eiusmodi illum verbis compellauit: Nosti, mi vir, quàm seuerè nunc homines sua damna, quàm rigidè magistratus homicidia vindicent puniantque. Quid si igitur Columba gladium tibi dedit, quo te occideres? quid si fudes hæc, quam Cornucopiam esse nobis arbitramur, vitæ bonorùmque omnium scopulus fiat? An non enim in eam bos aut aliud pecus possunt incurrere? quid si,

intempesta nocte, atque in tenebris, homo quispiam, per nemus properans, eo spiculo imprudens excipiat? quis nos non homicidij reos aget? Periclitabimur ego, tu, liberi nostri, &, vel, tanquam magicarum rerum gnari, in vincula dabimur; vel, tanquam viarum subfessores, eliminabimur, aut è patria, aut è vita. Quid præstat amittere, lucis huius; an baculi vnus vsuram? Me igitur si audis, sudem franges, ac destrues: præstat illam, quam nos ipsos in cineres ire. Ad hæc maritus: Sicut intelligis, ita loqueris, inquit: Mentem lingua sequitur. Neq; enim scis, quid vir Sanctus, cum sudem bene precando sacraret, mihi disertè promiserit; nullum scilicet vel hominem, vel iumentum eo vnquam, vel in summa cute lædendum. Ne igitur de lite pronuncies, quã non cognouisti. Poterat sufficere hæc responsio, si mulieri imperiosæ quidquam sufficeret. Urgebat enim illa identidem, ne quid maritus suo fueret capiti; ne vile lignum saluti totius domus præferret: prudentis esse, etiam pericula vitare: serò sapere, qui sapiunt post damnum. Nimirum ita est, multi viri, qui non vincuntur vxorum ratione, vinci se patiuntur earundem importunitate. Ne igitur

tur

tur nihil daret authoritati consiliisque maritæ vxorius paterfamilias, ijt in siluam, sudem abstulit, domúmque reportauit, ac, ne cui noceret, in angulum quendam abstrusissimum parieti acclinem coniecit. Nec ibi sine captura fuit. Mox enim domesticus canis in eum lapsus disperijt. Nouum ergo argumentum naçta anxia materfamilias: Vidésne, inquit, ad maritum, quid fatalis iste fustis nobis minetur? nempe, vt hodie canis eo confossus est, ita cras tibi vnus liberorum tuorum interimetur. Quid tum dices? sobolem, an sudem sublatam malle? Com-mouit ea iterum oratio misellum; qui proinde arreptum baculum rursus in densissime siluæ dumeta extulit, eoque loco posuit, ad quem ne feræ quidem vlli accessum patere putauit. At rursus, die postero, cum scipionem suum reuiseret, capream eo tranffixam inuenit. Deterritus ergo tam inusitata vi prædas trahendi, & metuens, ne & pecudem pabulatum actam attraheret; inde quoque vellere sudem statuit; & verò eam in fluuio, cui *Nigra Dea*, idiomate gentis, nomen, iuxta ripam, sub aquis fixit, firmauitque. Se- quente luce, cum vellet sudem ex amne extrahere inusitatae magnitudinis piscem *Eso-*



*cen* vnà extraxit etiamnum palpitantem. Erat autem adeò ingens is piscis, vt conto re- tentum, atque in humeros reiectum vix solus domum posset reportare. Domi, vt damnum caueret, nec hamo illius quisquam violari posset, in summa tecti parte sudem collocauit. Vix collocauit, & illico coruum vidit, magno volatus impetu, in cuspidem inactum. Quoniam igitur neque in siluis, neque in aquis, neque in tectis, sine alicuius animantis vulnere, potuit asseruari Columbanus baculus, luculentam iterum sibi obtigisse calumniandi occasionem rata materfamilias, denuò maritum instigauit ad eum frangendum, atque in ignem conijciendum: ne, vt prouerbio dicitur, inquietabat, in uenatione pereamus. Quid non possunt vxorum vel imperia, vel blandimenta? Ascendit simplicissimus homo, sudem deripit, & securi in minutissimas partes diffindit: frustra in focum & flammam mittit. Sic omnis illius abundantia ac prosperitas, penè momento, in penuriam commutata est; artificio cacodæmonis, feminae suasu, viri stoliditate: qui benedictione S. Columbæ combustâ, ad incitas redactus, omni reliqua uita, mendicare coactus est. Semper abundasset,

set,

set, si Sancti viri vaticinio plus, quàm stolidæ mulieris Panico timori credidisset. Sed quid mirum est, si mulier baculum timuit, quem meruit? Profectò, ni Sanctus, ab eo, hominibus spondidisset immunitatem, illa prima, in eum incurrisset. Certum est, ex hoc exemplo, Numinis veri, non somniantæ ab imperitis *Fortunæ* fauentiâ, hominibus prodigiosè fausta subinde euenire; quin & Sanctorum benedictionem multi precibus obtinent, atque hoc pacto dici possunt, *sua fortuna fabri*: nam *sui cuiq; mores fingunt fortunam*, vt ille de Pomponio Attico dixit; nos ita interpretari possumus, vt multa à Deo Diuisque precando fausta impetrari dicamus: certè nihil, *Casui aut Fortunæ*, sed omnia diuinæ ordinationi sunt ascribenda, respondendumque, sicut Abrahami seruo *responderunt Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quidquam loqui tecum: non fati necessitate coacti, sed tracti diuino nutu ac voluntate, cui nefas est resistere. Ethnicorum vox est:*

*Superat quoniam Fortuna, sequamur:  
Quòq; vocat, vertamus iter.*

Cornel.  
Nepos in  
vita Pō-  
ponij At-  
tici.

Gen. 24.  
50.

## CAPVT. IV.

*Nihil FATO vulgi, aut alicui neceſſi-  
rati ſtellarum eſſe aſcribendum.*

## §. I.

*Eoſdem plerumq; eſſe Fatorum & Fortuna  
adoratores.*

**F**acili ſupra memorati ineuitabilis  
felicitas, ſuſpicionem fortè alicui  
poſſet gignere *Fati* cuiuſdam, cùm  
*Fatis impellentibus adactus* vulgò dicatur, qui  
vtiq; non ſponte, nec rarò, ſed velut ineu-  
tabili neceſſitate, nolens volens vel ſemper  
felix, vel ſemper eſt in felix. Et Ethnicorum  
prouerbio iactatum eſt, *quod fatis decretum  
eſſet, id nemini licere euitare.* Quam opinio-  
nem didicit docuitque etiam Homerus, cu-  
ius verſus ita verbatim redduntur:

Homer.  
Odyſſ.  
H

*Poſt illic, accidet illi,*

*Quod fatum Parcaq; graues in ſtamine nêrunt  
Nascenti tum, cum matris promergeret aluo.*

Et qui arbitrio *Fortuna*, quæ *campi domi-  
na* dicitur, aliquid, tanquam Deæ, tribuunt,  
facilè in *Fati Fortuna* cognati errorem inci-  
dunt, vt cum Næuio, dicant: *Fato Metelli  
Roma ſunt Conſules*; aut vt, cum Priamo,  
*Fatis* aſcribant, quod, Helenæ eſſet impu-  
tan-

tardum, aut, cum Creonte, pronuncient, *Fato non repugnandum*: aut cum alio nescio quo, dicant: *Fata viam inuenient*: aut, cum Poëtis, tres Parcas esse credant, quas Cice-

Cic. l. 3.  
de Nat.  
Deor.

ro Erebi & Noctis filias fuisse scribit, & easdem Fata esse existimat; Hesiodus nascentibus hominibus bonum malumque conferre censet. Unde est illud Cleantis:

*Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.*

& istud Maronis:

*Concordes stabili Fatorum numine Parca.*

Virgil. 4.  
Eclog.

Madaurensis Philosophus has ita describit.

*Tres Parca, tria Fata sunt numero, cum ratione temporis facientia, si potestatem earum ad eiusdem similitudinem temporis referas. Nam, quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem. Et quod torquetur in digitis, momenti præsentis indicat spacia. Et quod nondum ex colo tractum est, subactumque curâ digitorum, futuri & consequentis seculi posteriora videtur ostendere.* Nomina Parcarum sunt Clotho, Lachesis, Atropos, quarum prima colum tenet; altera net; tertia filum diffringit. Ab hoc filo vita pendet. Hæ textrices anas omnia negotia mortaliû dispensant, apud istos, infallibili quadam necessitate. Huic laqueum torquent, illi nent diadema. Actum

tum eſt de homine, quàm primùm natus eſt, rata ſunt omnia, ſi iſtis credas; ſub Ioue natus, certus eſt de ſceptro; ſub Mercurio, certus de patibulo.

## §. II.

*Nullam à Fato eſſe neceſſitatem, neq; ſtellas in libera mortalium negotia dominari.*

Præſens eſt iſte ſcopulus, vt ſupra quoq; memini me dicere, ad homines in deſperationem, noſtra quoque ætate, prò dolor, inducendos. Qui etſi, ipſa *Fati* explicatio-  
ne ſupra allata, ſatis maneat repulſus, hïc tamen paulò enucleatiùs eſt deſtruendus.

Multi enim *Fati* legibus ita addicunt aſtrin-  
guntque omnia, vt libertatem arbitrij ma-  
niſteſtè tollant. Quidam namq; opinantur,  
*Fatum eſſe naturalem quandam ac neceſſariã*  
*rerum conſequentiam*; eãmq; ex ipſis aſtris  
deducunt. *Homines quando Fatum audiunt,*

S. Augu-  
ſtin. lib.  
5. de Ci-  
uit. cap. 1.

inquit S. Auguſtinus, *non intelligunt, uſita loquendi conſuetudine, niſi vim poſitionis ſi-  
derum qualis eſt, quando quis naſcitur, vel cõ-  
cipitur.* Alij inquit, *Fatum eſſe indeclina-  
bilem rerum ſeriem, & catenam, per æterna  
conſequentiæ ordines, ſemet implicantem.* De  
primis Poëta ait: *Nota Mathematicis gene-  
ſis tua.* Secundi ſeipſos, ac alios ſecum, ca-  
tenã

tenâ illâ implicant. Vtrique in *Fato* fiunt fatui: illi quia astris, quibus sapiens dominatur, nimiam tribuunt potestatem; isti, quia non satis dispiciunt, quale sit inter facta & facienda discrimen. Nam etsi, quod factum est, infectum fieri nequit; id tamen, quod faciendum est, non ita faciendum est, ut liberè non sit faciendum, aut ut etiam omitti nō possit. Tametsi ergo *Fatum*, prout Ethnici sumebant, significabat aliquam in euentis necessitatem, immo etiam necessitatem in ipso Deo; prout tamen ab Aristotele, & rectè sentientibus accipitur, non solùm non infert necessitatem in Deo, cum Deus liberè ordinet fatum; sed etiam in agentibus liberis creatis non ponit necessitatem, cum causæ proximæ in effectum influentes, influant iuxta modum eius. Quocirca, si sint liberæ, influunt cum libertate, seu libertate non euersâ. Nulla ergo neque à stellis, neque ab vlla serie causarū est *necessitas antecedens*. Ita est, non lucent in cœlo sidera otiosè; alios in iram, alios in flaccidum quendam languorem; alios lætos, subtristes alios gignunt; nulli tamen sanæ mentis homini ingerunt necessitatem, nulli adimunt libertatem. Potest lætus tristi-

stari,

ſtari, & triftis naturâ lætari: neque fatiẽ  
 quiſpiam in lætiſſimos cachinnos effuſior  
 eſt, quàm cum melancholicus in riſum at-  
 que iocum erumpit. Qui autem, ex poſi-  
 tura ſtellarum, bella, victorias, incendia,  
 nuptias, magnatum mortes, proditioes,  
 fœdera, pacem, amicitias, inimicitias pro-  
 mittunt & antedicunt, malo aſtro nati, &  
 planè calendario indigni ſunt. Nec enim  
 merentur, inter Sanctos ſcribi, qui docere  
 audent; quod Sancti omnes refutauerunt.

## §. III.

*D. Ambroſij, contra fatales ſtellas; ar-  
 gumenta & rationes.*

**S. Am-  
 broſ. ſu-  
 per epift.  
 ad Co-  
 loſſ. c. 2.**

Pugnat contra fatales ſtellas, cum Apo-  
 ſtolo, D. Ambroſius, qui primò aſtologi-  
 am hanc oſtēdit, fidelibus eſſe periculoſam,  
 his verbis: *Videte, ne quis vos depradetur  
 per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecun-  
 dùm traditionem hominum, ſecundùm elemen-  
 ta huius mundi, & non ſecundùm Chriſtũ &c.*  
 Deinde indicat, quinam eiufmodi aſtolo-  
 giæ ſe mancipent. *Quia quæ ad præſens ſunt,  
 & cernuntur oculis ſuavia, & oblectabilia vi-  
 dentur, aliquantos ſeducunt, qui ſpiritualem  
 rationem deſpiciendam & ridendam putant de-  
 ſperatione futuri, omnem vim aſtris aſignan-  
 tes,*

tes, carnali rationi obnoxij, ne grania credenda sint sustolli posse in cœlum, neue lenia, venire ad terras, aut aliquid corporeum, sine rerum admixtione, generari, repugnantes potentia ac providentia Dei. Hanc ergo tertio traditionem vel philosophiam fallacem & inanem appellat, quia non à potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humane, quæ potentiam Dei, intra scientiam suam coarctat. Quarto docet, in quanta absurda abducatur hæc opinio. Nonnulli natiuitatum, inquit, tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit unusquisq, qui natus sit: cùm hoc non solum vanum, sed etiam inutile quærentibus, impossibile pollicentibus. Quid enim tam inutile, quàm ut unusquisq, persuadeat sibi hoc esse, quod natus est? Nemo ergo debet vitam suam, studium, morésq, mutare, eniti, quò melior fiat. Sed in ea persuasionem neque probum potes laudare, nec condemnare improbum, qui necessitati natiuitatis suæ respondere videtur. Et quomodo Dominus aut bonis præmia proposuit, aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinam? & conuersionem stellarum cursus informat? Et quid est aliud, quàm hominem de homine exnere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studio relinquitur? Quinto ex-

Idem lib.

4.

Hexam.

c. 4.



emplis hanc vanitatem euertens pergit :  
*Quàm multos videmus ereptos criminibus, atq; peccatis, in meliorem ſtatum eſſe conuerſos? Redempti ſunt Apoſtoli, & congregati ex peccatoribus: non utique natiuitatis ſuæ hora, ſed Chriſti eos ſanctificauit aduentus, & hora Dominicæ paſſionis redemit à morte. Latro ille damnatus capitis, ille cum Domino Crucifixus, non beneficio natiuitatis ſuæ, ſed fidei confeſſione ad Paradifi æterna tranſiuit. Ionam in mare non vis natiuitatis, ſed diſſimulatio diuine præceptionis præcipitauit, & offenſa: eundemq; cetus excipiens ad iudicium futuri myſterij, poſt triduum, reuoluit, & prophetiæ merito gratiæ reſeruaui. Petrum de carcere, imminente morte perimendum, Angelus Chriſti, non ſtellarum ſeries liberauit. Paulum cæcitas conuertit ad gratiam, & percuſſum à vipera, turbatoq; naufragio, non remedia natiuitatis, ſed deuotionis merita ſeruauerunt. Quid de illis dicimus, qui eorum precibus, cum fuiſſent mortui, reſurrexerunt? Utrum illos ſua natiuitas, an Apoſtolica gratia reſuscitaui? Quid opus fuit, ut ſe jeiunijs periculisq; committerent? ſi ad quod volebant, natiuitatis beneficio poterant peruenire? Quod ſi credidiſſent, dum expectant fatorum neceſſitatem, nunquã perueniſſent ad tantam gratiam.* S. IV.

## §. IV.

D. Augustini, itemq; D. Chrysostomi, lucu-  
lenta, contra Fatum, exempla.

Sextò affert alia exempla Hipponensis  
Antistes, cuius hæc sunt: *Fatum ponentes no-  
lunt advertere, quòd electo, ad seminandum  
agrum, die, tam multa grana in terram simul  
veniunt, simul germinant, & exorta segete, si-  
mul herbescunt, pubescunt, flavescunt, & ta-  
men inde spicas ceteris coæuas, atque (ut ita  
dixerim) congerminales, alias rubigo interi-  
mit, alias aues depopulantur, alias homines a-  
uellunt. Quomodo istis alias constellationes fu-  
isse dicturi sunt, quas tam diuersos exitus ha-  
bere conspiciunt? An eos penitebit his rebus di-  
es eligere, easq; ad caeleste negabunt pertinere  
decretum, & solos sideribus subdent homines,  
quibus solis in terra Deus dedit liberam volun-  
tates? Alterum exemplum, non de segeti-  
bus, sed de hominibus ponit, alio loco. De  
geminis hominibus plurima plurimumq; diuer-  
sa monstremus. Nati enim sunt duo gemini ve-  
terum Patrum memoria, ut de insignibus lo-  
quar, sic alter post alterum, ut posterior plan-  
tam prioris teneret. Et tanta in eorum vita  
fuerunt moribusq; diuersa, tanta in actibus di-  
sparilitas, tanta in parentum amore dissimili-*

S. Augu-  
stin. lib. 5.  
de Ciuit.  
c. 7.

Eod. l.  
c. 3. 4.

F

tudo

Ibid. c. 5.

Ibid. c. 6.

S. Aug.  
lib. 2. cõ.  
era epi-

tudo, ut etiam inimicos eos faceret inter se ipsa distantia. Unus à matre diligebatur; unus honorem, qui magnus apud eos habebatur, amisit, alter adeptus est. Addit tertium exemplum. Quid est hoc, quòd uno tempore, momento uno, sub una eademq; cali positione, de duabus matribus pariter nati, diuersa fata habent? Subiungit quartum. In ipsis geminorum conceptibus, ubi certè amborum eadem momenta sunt temporum, sepe fit, ut sub eadē constellatione fatali, alter comparetur masculus, alter femina. Nouimus geminos diuersi sexus: ambo adhuc viuunt, ambo etate adhuc vigent. Quorum cum sint inter se similes corporum species, quantum in diuerso sexu potest instituto tamen & proposito vitæ ita sunt dispareres, ut, præter actus, quos necesse est à virilibus distare femineos, ille in officio comitis militet, & à sua domo penè semper peregrinetur; Illa de solo patrio & de rure proprio non recedat. Insuper, quod est incredibilis, si astralia fata credantur, non autem mirum, si voluntates hominum & Dei munera cogitentur, ille coniugatus, illa virgo sacra est: ille numerosam prolem genuit; illa nec nupsit. Quintum denique exemplum ponit in duobus geminis infantibus à meretrice editis, quorum sine baptis-

baptismo expirauit vnus, alijs baptizatus erat, ita scribens: *Hic non est fatum, quia nec stella vlla ista decernunt; nec fortuna, quia non fortuiti casus hæc agunt, nec personarum, nec meritorum diuersitas hoc fecerunt: quid restat, quantum ab baptizatum attinet, nisi gratia Dei, quæ vasis factis in honorem gratis datur: quantum autem ad non baptizatum, ira Dei, quæ vasis factis in contumeliam, pro ipsius massæ meritis redditur. Sed in illo, qui baptizatus est, non solum ostenditur adiutorium gratiæ Dei, verum etiam in non baptizato documentum. Adiutorium, scilicet in vasis misericordiæ; in vasis autem iræ documentum. In eis enim ostendit iram, & demonstrat potentiam suam, quia tam potens est bonitas eius, vt bene utatur etiam malis; & in eis notas facit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quoniam, quod ab iræ vasis exigit iustitia punientis, hoc misericordiæ vasis dimittit gratia liberantis.* Affert D. Chrysostomus & illud Iosephi exemplum, qui fratrum suorum perfidiam ac scelus eleuare, eosque consolari cupiens, non eleuauit, per *Fatum*, aut Homericam *Aten*, seu deam, quæ mala & noxia inferre credita est à Græcis ac Gentilibus, sed per providentiam Dei, qui peccatum illorum,

stolas Pea-  
lagiano-  
rum. c. 7.

Gen. 45.

5.

in gloriam Iosephi, & ipsorum, bonumq; publicum, ordinavit. Dixit enim: *Ego sum frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neq; vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Qua excusandi eos, qui nos offenderunt, ratione vtinam etiam nos vteremur, reperiremus, vtique, omnia nobis mala illata in bonum cooperari, & gaudendi potiùs, quàm irascendi caussam haberemus.

## §. V.

*Quantùm rationi repugnent, qui putant, stellas, veluti Parcas quasdam fatalia nentes, arbitrij libertatem strangulare.*

His exemplis accedunt & aliæ rationes, quæ ab his aliisque Patribus in medium afferuntur. Nam Chaldæi isti aut Chaldæizantes, qui vim vitæ necisque tribuunt natiuitati, asserunt, eam minutissimis colligendam esse momentis, quæ nisi obseruantissimè colligantur, maximum esse discrimen, vt adeò statim post Esau, Iacob aliquis gignatur: *Breui enim atomo exiguoq; momento distare natiuitatem inopis & poten-*

S. Am-

prof. lib.  
4. Hexā.  
cap. 4.

tis, egentis & diuitis, innocentis & noxy; & plerumque, eadem hora, generari longauitati debitum, & prima pueritiæ atate moriturum, si reliqua disparia sint, & puncto aliquo discreta. Hoc quemadmodum possunt colligere, respondere. Constitue partum femina. Obstetrix utique cum primò cognoscit, explorat vagitum, quo natiuitas colligitur, attendit, utrum masculus sit, an femina. Quot vis inter has moras præterire momenta? Pone Mathematicū preparatum. Nunquid potest vir interesse puerperio? dum mandat obstetrix, audit Chaldeus, ponit horoscopum in alterius sortem. Iam nati fata migrarunt, de altero queritur, & alterius genitura proponitur. Atque idem: Vitalem, inquit, illum signorum duodecim circuitum in duodecim partes diuidunt: & quia triginta diebus sol duodecimam partem spheræ eius, quæ inenarrabilis habetur, regreditur, quo gyrus solis anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas, quas *μειδαι* Græci vocant, unamquamque duodecim illarum distribuunt portionem; ipsam quoque portiunculam in sexaginta vices conferunt. Rursum unumquodq; de illis sexaginta, sexagies secant. Quam incomprehensibile, in quo sexagesimo, tot sexagesimæ portiuncula natiuitatis momenta constituent:

quant: & qui singulorum signorum sit aut motus, aut species in natiuitate nascentis? Vnde, cum impossibile sit, tam subtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem minutia inuehat vniuersitatis errorem, totum negotium plenum est vanitatis. Disputatores eorum, quæ sua sunt, nesciunt, & quo modo aliena nouerunt? Quid sibi immineat, ignorant, quo modo possint alijs, quæ futura sunt, denunciare? Ridiculum est credere. Quia si possent, sibi potiùs prouiderent. Hæc Ambrosius: qui addit; nihil mirum esse, si ibi homines ludantur, ubi signa innoxia blasphemantur: quæ si natura noxia esse creduntur, Deus summus arguitur, si fecit, quod malum est, & fuit improbitatis amator. Lactantius ita loquitur: De sapientibus stulti, & de stultis sapientes sæpe nascuntur; quod quidam fato ac sideribus assignant. Sed non est nunc locus de fato differendi. Hoc dicere satis est; quod etiam si astra efficientiam rerum continent, nihilominus omnia à Deo fieri certum est, qui astra ipsa & fecit, & ordinauit. Inepti ergo, qui hanc potestatem Deo detrahunt, & operi eius attribunt. At ne quis existimet, saltem à Deo, per astra, hominibus imponi necessitatem, addit statim. Hoc igitur Dei munere caelesti, atq; præclaro,

Lactant.  
lib de o-  
pificio  
Dei. c. 19.

*claro, an utamur, in nostra voluit esse potestate. Hoc enim concessio, ipsum hominem virtutis sacramento religavit, quo vitam posset adipisci. Non posset autem, si in eius potestate, per contrarias stellas, non esset, virtutem exercere, atque astris quocunque demum inclinantibus dominari. Aut quo modo posset virtutem precipere Deus, quam homo, obstantibus astris, non posset exercere?*

§. VI.

*Quàm multi Astrologorum se se stultitij falli sinant?*

Hoc Fato, igitur accusatur Deus, excusatur homo; quia per *Fatum*, ad necessitatem *genitalem*, non ad instituta *morum actus nostri factaq;* referuntur. Frustra ergo leges, frustra iura; immo immeritis præmia, innocentibus supplicia proponuntur. Non enim rectè puniuntur, qui aliter facere non potuerunt. Neque necessitas, sed voluntas præmium meretur. Non igitur stolidi tantum, sed & impia est hæc Fatalis Astrologia. Et tamen quàm innumerabiles, hoc ævo, homines, opinione ista, se sinunt fascinari? Non recensebo jam totos libros, ingenti precio, à summis, medijs, infimis



S. Am-  
broſ. loc.  
cit.

emtos, quibus credunt, omnia deſcribi quæ ſibi ſunt euentura. Quam multi, tanquam Sibyllæ folium, æſtimant libros cum annalibus Voluſi comparandos, in quibus legunt, ſigno Arietis ortos præſtantiffimos eſſe conſilio, quòd in grege huiusmodi emineat pecus: aut locupletiores, quòd veſtitum habeat aries naturalem: aut liberales, quòd lanam ſuam aries non inuitus deponat: Laborioſos & patientes ſervitij, quos naſcentes Taurus aſpexerit, quia hoc animal laborioſum & aſſuetum in go ſpontanea ſervituti colla ſubmittit: Percuſſorem quoque, cuius natiuitatem ſcorpium in ſua parte complexus ſit; & malitie venena reuomentem, eò quòd animal venenatum ſit. Ad arbitrium Aſtrologi, quam multi, dum ſe Martios credunt, ad coniunctionem Martis non ſolum bellant, ſed etiam prælia committunt? mercaturas alij, alij ſceptra prehendant, quia ſe ſe vel Mercuriales, vel Iouiales arbitrantur? Fati immo Orci mancipia. Nummos accipiunt, cum ſe homines hominibus vendunt: dant iſti nummos, ut ſe vanitatibus vendant. Intranſ enim ad Mathematicos, ut emant ſibi dominos, quales Mathematicis dare placuerit: vel Saturnum, vel Iouem, vel Mercurium, vel ſi quid aliud ſacri-

S. Augu-  
ſtin. ſu-  
per Ioan.  
ſerm, 8.

legi

legi nominis. Intrauit liber, ut nummis datis  
seruus exiret. Immo verò, non intraret, si li-  
ber esset, sed intrauit, quò eum dominus error,  
& domina cupiditas traxit. Nunquid hoc  
experimur, quoties cynigeri, seu AEgyptij  
illi veratores, seu erronei potiùs, apud nos,  
circumuagantur? Cum enim illi in vrbes  
non admittantur, plenis curiosi vijs ad eos  
excurrunt, vaticiniàque immo mendacif-  
sima mendacia ab illis mercantur. Vnde  
alij minantibus astris tristes, alij spe teme-  
rarij, in quantas non incidunt calamitates?  
Certè illud mirari satis non possum, non  
modò, quòd Calendaria eiusmodi præ-  
dictionibus præliorum, cladum, mortium,  
fatorum pestilentissima, lucri caussa, non-  
nulli extogitare, alij typis vulgare, alij  
vendere audeant; sed etiam, quòd tot re-  
periant emtores, lectores, creditores: im-  
mo à Catholicis Magistratibus ac Principi-  
bus, contra tot decreta Pontificum, fulmi-  
na Conciliorum, & adeò ipsa etiam iura  
legésque ciuiles, edere, vendere, legere,  
credere permittantur. Vtinam illud per-  
penderent de expellendis incolis ad Israéli-  
tas dictum: *Gentes iste, quarum possidebis*  
*terram, augures & diuinos audiunt: tu au-*

Deut. 18.  
14.

tē à Domino Deo tuo aliter institutus es, à qua institutione ſi reſceſſeris, vide, ne & tu extermineris,

## §. VI.

*Variorum de ſtella à Magis in Oriente, viſa, vel errores, vel opinionones.*

Matth. 2.  
2.  
S. Gre-  
gor. ho-  
mil. 10. in  
Euang.

At putant, ſe patrociniū habere ſacræ ſcripturæ, in qua Magi aduentus ſui cauſam illam indicant: *Vidimus enim ſtellam eius.* Sanè D. Gregorius ſcribit, Prifcillianiſtas docuiſſe, ſtellam hanc fuiſſe *fatum* Chriſti. Quibus accedunt Albumaſar & ex eo author Speculi, quod vulgò Alberto Magno aſcribitur, aliq; qui autumāt, Mundi Condito- rem, in aſtris, prouidentiam ſuā & ea, quæ per illam facturus eſt, certis notis ſignafſe, & velut characteribus quibuſdam inſcripſiſſe. Vnde exiſtimant etiam, in illa Chriſti ſtella, Chriſti ortum Magos legere potuiſſe; neque ortum tantum, ſed etiam mores, miracula, vitamque vniuerſam. Petrus de Aliaco Cardinalis & Archiepiſcopus Cameraceniſis ſcribit, ſub tempus Natiuitatis Chriſti, fuiſſe concurſum Iouis cum Saturno, in Cancro: *in ipſa verò Chriſti Natiuitate*, inquit, *Horofcopus erat pars Virginis octaua, (quæ religionis mutationes & par-*

Petrus de  
Aliaco  
Cardin.  
& Archi-  
ep. Ca-  
merac. q.  
30. in  
Gen.

tum

*rum Virginis significat) in culmine verò cali-  
erat Saturnus; in imo autem Sol. Quem Ser-  
uatoris Horoscopum in figura spectandum  
exhibet Sixtus Senensis.*

Sixt. Sen-  
nens. lib.  
6. Bibli-  
oth. c. 10.

§. VIII.

*In Christi horoscopo, mysteria Christi videri  
non potuisse.*

Verùm tametsi hoc de ascensu Virginis &  
benigno siderum in Christum nascentem aspectu  
fidei non repugnat, vt ait Salmeron; repug-  
nat tamen rationi, stellam Magis Christi ex  
Virgine ortum, mores, miracula, singulá-  
que facta ostendere potuisse. Quo pacto e-  
nim Christi ex Virgine ortus, transfiguratio,  
Crucifixio, Resurrectio, res tam superna-  
turales, arte naturali, qualis dicitur esse A-  
strologia, deprehendi potuissent? An cha-  
racteres aliqui in ea stella cernebantur? &  
litteris fortasse scriptum ibi erat: *Virgo pe-  
perit: Christus natus est: Crucifigetur: In ca-  
lum ascendet?* At cur eas litteras nemo vi-  
dit, præter Magos? & quàm Aquilinum eos  
visum habuisse necesse est, vt litteras illas  
legere possent? multóque magis Astrologi  
nostri, quos plerumq; vel maculæ Solis ex-  
cæcant, mirabiles esse debent, si tam pro-  
cul legere possunt, quæ inscripta sunt in stel-

lis

lis firmamenti, cùm ſæpe non videant foſſam ante pedes patefactam, in quam cælo defixi prolabuntur. Quid quòd omnis Aſtrogorū obſeruatio experienciã nitatur? Aiunt enim, hoc, & illo, & iſto anno, quando Mars cum Ioue concurrit, in Libra, experti ſumus ſeditiones, rebelliones, ſæua prælia extiſſe. Quare etiam hoc anno, in ſimili concurſu, iterum prælia, ſeditiones & rebelliones exiſtent. Hæc eſt ſeu ars, ſeu coniectura, ſeu ſuſpicio ſpumantis arrogantia. At dicant mihi iſti, quam experienciam habuerint, de Virgine paritura? de natiſturo, paſſuro, aut morituro Deo? Nunquam enim, ante Deiparam, vlla Virgo peperit: nunquam ex homine natus, nunquam paſſus, aut mortuus eſt, ante Chriſtum, Deus. Nullam ergo experienciam, & quod inde conficitur, nullam eiuſcemodi ſcientiam, è ſtella illa, Aſtrogologi habere potuerunt: ſomnia Priſcillianiſtæ habuerunt, & phantaſmata delirorum. Age, qui è ſchola iſtorum prodijſti, dic mihi, quid ex Horoſcopo, ſiue concurſu ſtellarum, qui fit, infante, in lucem ex vtero matris prodeunte, colligis? Nempe ex aſcenſu ſtellæ Iouis, conijcis, puerum, qui tunc naſcitur,

hila-

hilarem fore ac Iouialem: ex ascensu Martis, fore pugnacem: ex ascensu Lunæ, varium fore ac mutabilem: ex ascensu Saturni, melancholicum fore ac suspicacē, eò quòd hæc sidera, ad eiusmodi complexiones ac inclinationes, naturalem habeant influxum. Demus tibi hoc. At dic, fodes, quænam stella est, quæ ordinem habeat atque influxum, ad effectus supernaturales? ad miracula producenda? ad Verbi diuini Incarnationem? ad edendum partum, illæsa virginitate? ad genus humanum, ab æterna damnatione, redimendū? Hæc talia nonne fateberis, supra omnem vim stellarum, excedere? & à sola supernaturali omnipotentia Dei perfici posse? Non ergo *Fatum* aliquod in stella Magorum est collocandum.

§. IX.

*Potius Christum stellam, quàm stellam Christo fatum fuisse.*

Quod vel inde constat, quia Redemptor noster, vti rerum omnium, ita etiam stellarum est Dominus. Quare non fas est, vt ille stellis, sed stellæ illi subijciantur. *Dum non puer ad stellam, ait S. Gregorius, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit, puer fuit.*

S Gregor.  
hom. 10.  
in Ewang.

S. Augu-  
ſtin. lib.  
2. contra  
Fauft. c. 5.

fuit. Quamobrem rectè Auguſtinus, con-  
tra Manichæos dicentes, Chriſtum colliga-  
tum eſſe ſtellis, & eſſe ſub fato ſtellarum, ſic  
concludit: *Stella illa, quam viderunt Magi,  
Chriſto ſecundùm carnem nato, non ad decre-  
tum dominabatur, ſed ad teſtimonium ſamula-  
batur; nec eum ſubijciebat imperio, ſed indica-  
bat obſequio. Atque poſt illa: Non ideò, in-  
quit, Chriſtus natus eſt, quia illa extitit; ſed  
ideò illa noua exorta eſt, quia Chriſtus natus eſt.  
Vnde, ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſto, ſed  
Chriſtum ſtella fatum fuiſſe diceremus. Ipſe  
quippe illi, non illa huic naſcendi attulit cauſa-  
ſam. ergo ſunt fata, qua à fando, ideſt, di-  
cendo appellata ſunt, quoniam Chriſtus verbum  
Dei eſt, in quo, antequam eſſent, dicta ſunt  
omnia, non conſortium ſiderum, fatum Chri-  
ſti eſt; ſed fatum etiam ſiderum Chriſtus eſt,  
ipſam carnem ſub celo creatam ea voluntate aſ-  
ſumpſit, qua etiam cælum creauit; ea poteſtate  
depoſuit, & recepit, qua etiam ſideribus impe-  
rauit.*

§. X.

*De ſtella, cum Chriſto, oritura, vaticini-  
um Balaam.*

Quo pacto igitur Chriſtum natum, in  
ſtella, Magi viderunt, quando eum non ar-  
te A-

te Astrologica, non scientiâ Fati, non notis stellæ inscriptis potuerunt cognoscere? Communis est Basilij, Hieronymi, aliorumque SS. PP. sententia, Christum stellæ nouæ indicio à Magis cognitum, quia, sicut cometæ mortes regum mutationesque regnorum portendunt; ita Balaam vaticinatus erat; cum Christo stellam orituram.

*Orietur stella ex Iacob.* Magi ergo, vel posteri, vel successores Balaam, Ierosolymam venientes dicebāt: *Ubi est, qui natus est Rex Iudeorum? vidimus enim stellam eius,* quem è vaticinio Balaam, ex prædictione Sibyllæ, deniq; instinctu & reuelatione diuina, stellæ indicio designatum nouimus. Cur enim vaticinium Balaam successores eius latuisset, quod neque Romanis fuit incognitum?

Siquidem & Cicero, & Suetonius, & post illos, etiam Orosius, tradunt, communem famam fuisse, ex Iudæa proditurum regem, qui omnibus dominaretur, quod Gentiles Vespasiano suo falsò tribuerunt; Sibylla autem & Chalcidius Gentilis ac Platonius Philosophus, Christo ex Virgine nascituro. Sibyllæ oraculum tale extat.

*Diuinamq; Magi stellam coluere recentem,  
Monstratusq; Dei præcepta sequentibus infans  
Est in præsepi.*

Chal-

Num. 24.

17.

Matth. 28

2.

Cic. lib. 2.

de diuina

nat.

Sueton.

in Vespasiano.

Orosius

lib. 6.

cap. 6.

Lib. 8.

orac. Sibyllæ.

Sibyllæ.



Chalci-  
dius in  
Timæ-  
um Pla-  
tonis.

Chalcidius autem ita ſcribit: *Eſt alia ſan-  
ctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet de  
ortu ſtelle cuiuſdam, non morbos mortēq; de-  
nunciantis, ſed deſcenſum DEI venerabilis ad  
humana conuerſionis, rerūq; mortalium gra-  
tiam: quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpe-  
xiſſent Chaldaorum profecto ſapientes viri, &  
conſideratione rerum geſtarum ſatis exercitati,  
quaſiſſe dicuntur recentem Dei ortum, reper-  
tāq; illa maiestate puerili, venerati eſſe, & vō-  
ta Deo tanto conuenientia nūcupaſſe.*

§. XI.

*De excellentia ſtelle, quæ magis apparuit.*

Imperf.  
op. au-  
thor. ho-  
mil. 2.

Imperfecti operis auctor refert, Succel-  
ſores Balaam, poſt oraculum eius de ſtella  
ex Iacob oritura, per ſingulas ætates, ali-  
quos deputaſſe, qui identidem cælum con-  
templarentur, vt ſtelle huius ortum, in  
monte, qui Victoralis dicebatur, obſerua-  
rent; tandēque, cum hi ipſi Magi eius or-  
tum præſtolarentur, apparuit eis, inquit,  
deſcendens ſuper montem illum Victorialem,  
habens in ſe formam quaſi pueri parvuli, & ſu-  
per ſe ſimilitudinem crucis; & locuta eſt eis, &  
docuit eos, & præcepit eis, vt proficiſcerentur  
in Indæam. Proficiſcentibus autem eis, per bi-  
ennium, præcedebat ſtella. & neq; eſca neq; po-  
tus

*rus defecit in peris eorum.* Hæc incertæ fidei esse, meritò iudicat Cornelius noster; & ex Apocryphis Sethianorum hæreticorum libris transumpta, ipse fatetur author, & docet Epiphanius. Itaque longè verosimilius est, non visam in stella imaginem, sed Magos, visa stella, secretiori cælestis Numinis afflatu motos, *hanc quasi cæli linguam loquentem audivisse*, eamque radios suos longiores, instar cometæ, versus Iudæam clariùs extendentem, vsque ad cunas Christi profecutos esse. *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum*, ait S. Leo, & *quod fecit intelligi, fecit inquiri; & se inveniendum obtulit requisitus.* Tam scilicet formosa claritas, tamque extraordinaria fuit maiestas stellæ, vt facilè Magi, iam antè de ea à Balaam moniti, aliquid eam diuini portendere arbitrentur. Certè in ea Angelus Magos duxit, sicut olim in *columna ignis* Israëlitas; quæ noua fuit, neq; antè, neq; postea visa; non, vt cæteræ, quarto Mundi die, sed, ipsa nocte Natiuitatis Christi, vel creata, vel producta atque ex aëre condensato efformata; loco, motu, tempore (nam & interdium lucebat) duratione (durauit enim tantùm per 13. dies) magnitudine, subductione sui, &

Cornel.  
 de Lap. in  
 cap. 2.  
 Marth. S.  
 Epiphan.  
 heres. 26.  
 S. Augu-  
 stin. serm.  
 2. de Epi-  
 phan.

Leo serm.  
 4. de E-  
 piphan.

S. Ignat.  
epiſt. 14.

Prudent.  
in Hymn.  
Epiphan.

oſtentione repetita , nec nõ & ſtatione (ſte-  
tit enim ſupra domum , vbi erat puer ) ac  
ſplendoris excellentia à ceteris aſtris diſcri-  
minata. Nam hæc, vt S. Ignatius, qui pau-  
lò poſt Chriſtum vixit , teſtatur , *ſtella ful-  
ſit , exuperans omnes , quotquot antè fuerant :*  
*lux enim illius erat inenarrabilis , & ſtuporem*  
*incuſſit omnibus aſpicientibus eam rei nouitas :*  
*omnia autem reliqua aſtra unà cum ſole & lu-  
na chorus fuère ſtelle illius : ipſa verò claritate*  
*exuperabat omnes.* Immo , ex mente Pru-  
dentij , erat *ſtella, quæ ſolis rotam vicit decore*  
*ac lumine.* Idonea igitur fuit , quæ Magos  
raperet in admirationem , & incitaret , vt  
indagarent , quem portenderet.

§. XII.

*Magorum exemplo, per aſtra & creatu-  
ras , ad Deum eſſe ascendendum.*

Hic mihi Magorum inſignem pruden-  
tiam, & plenum dignitatis & antiquitatis  
exemplum perpendite. Quid enim, con-  
ſpecto hoc nouo tam ſplendido meteoro,  
fecerunt? An id, velut ſtulti nautæ, ignem  
fatum, tanquam Caſtorem & Pollucem,  
*fratres Helene lucida ſidera*, & Numina ma-  
ris ac tempeſtatum adorauerunt? An Phæ-  
bum ſibi inde aliquem, aut Dianam; aut ne-  
potem

pōtem Atlantis finxerunt? Nequaquā: Sed, sicut olim David; iucundissimo siderum intuitu, in amandum siderum conditorē exarsit dicens: *Laudate Dominum, sol & luna; Pfal. 148. laudate eum omnes stelle & lumen; ita & sapientes isti viri, non in creatura submersi sunt, sed ad Creatorem, per creaturæ pulchritudinem, euocari se iudicauerunt. Vidimus enim, inquit, stellam eius, in oriente, & venimus adorare eum. Pari modo & nos agnoscamus, dilectissimi, in Magis adoratoribus, Christi vocationis nostræ fideiq; primitias, & exultantibus animis beata spei initia celebremus, ait S. Leo. Felix qui per hanc, & omnes stellas, se finit ad Christum duci: miser qui se finit abduci ad Fatum, aut, vt illi fidus sit Deus. Siquidem vari sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neq; operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex: sed aut ignem aut spiritum, citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam (seu Oceanum tanquam Neptunum) aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum putauerunt. Quorum si specie delectati, Deos putauerunt: sciant, quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei*

Pfal. 148.

3.

Matth. 2.

2.

Leo. ferm  
2. de Na-  
tiu.

Sap. 13. 2.

cap. 2.

cap. 1.

cap. 2.

cap. 3.

ciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut, ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior eſt illis: à magnitudine enim ſpeciei & creatura, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.

## §. XIII.

*Fati neceſſitas, cum quanta impietate ac pernicie aſſeratur?*

Reſtat alterum Fati genus, tantò periculofius, quantò ſubtilius. Qui enim Deum ſciunt omnia prævidere, eiùſque præſcientiam falli non poſſe, indeclinabilem quandam rerum ſeriem & catenã, per æterna conſequentia ordines, ſemet implicantem conſtituunt, quam *Fatum* vocant: quo & rerum contingentiam, & voluntatis delectum libertatémque, & modum agendi cauſarum particularium è medio tollunt. Ex quo errore etiam alia abſurda conſequentur. Nam, vna cum libertate, homini auferunt merita præmiorum: quia quod ſponte non fit, ſine merito fit. *Quæ enim merces homini Chriſtiano, ſi non ex voluntate, ſed ex neceſſitate curas ſuas & opera componit? Ubi enim directa neceſſitas, ibi inhonorata induſtria;* ait S. Pater. Item Deum faciunt authorem peccati, vt qui homi-

S. Ambr.  
l. 4. He-  
xam. cap.  
4.

merito fit. *Quæ enim merces homini Chriſtiano, ſi non ex voluntate, ſed ex neceſſitate curas ſuas & opera componit? Ubi enim directa neceſſitas, ibi inhonorata induſtria;* ait S. Pater. Item Deum faciunt authorem peccati, vt qui

homi-

hominibus imponat peccandi necessitatem. Quin & Mundo præcipuum quendam adi-  
munt ornatum, in quo pulcherrima est va-  
rietas, si aliæ causæ necessariò, aliæ contin-  
genter, aliæ ex libertate operentur. Quam-  
obrem, contra hoc *Fatum*, omnes SS. Pa-  
tres, vnanimi consensu, pugnant. Pugna-  
verunt & Ethnicorum sapientes, quorum  
non nemo, cum seruus vapulans diceret: *In  
fatis fuit, ut furarer:* respondit: *in fatis fuit,  
ut vapulares;* ita *Fatum Fato* quasi cuneum  
cuneo pepulit. Periculosissimus hic diabo-  
li laqueus est, quo argutuli, sed non satis  
docti capiuntur. Vt ignauiam suam excu-  
sent, Deum accusant. *Fatum* obtendunt,  
vt firment desperationem. Quid enim ten-  
tet, qui aliter facere non potest? aut quid  
speret, de quo actum est? Sed, vt insanis istis  
vel medicus helleborum porrigat, histori-  
am, ex pio authore, vtillissimam dabo.

§. XIV.

*Ludouici Landgrauij exemplo, scioli docentur,  
à præscientia Dei, contra arbitrij liberta-  
tem, non esse argumentan-  
dum.*

*Ex relatione, inquit, cuiusdam viri religiosi  
cognoui, Ludonicum Lantgranium, patrem* Cælarus  
Heisterb.  
l. 1. c. 27.  
Her-

• *Hermannii Lantgrauy, qui ante hos duos annos defunctus eſt, in errorem periculoſum non ſolum propriae animæ, ſed & ſubditorum ſubſtantiae decidiſſe. Qui cum eſſet prado ac tyrannus maximus, duras ac plurimas in ſibi commiſſum populum faciens exactiones, multas Eccleſiarum ſibi uſurpans poſſeſſiones; & propter hoc, aliâq; plurima mala, à uiris Religioſis corripere, qui ei proponebant, in confeſſione, pœnam malorum, & gloriam electorum, uerbum miſerabile reſpondit. Si prædeſtinatus ſum, inquit, nulla peccata poterunt mihi regnum calorum auferre; ſi præſcitus, nulla bona mihi illud ualent conferre. Et ſicut mihi dicere ſolebat Nonnus Conradus ſenex monachus noſter, de Thuringia partibus oriundus, uerſiculum illum Pſalmiſtæ: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum, loco prouerbij, ad ſuam excuſationem, arguentibus ſe proponebat. Erat ſiquidem litteratus, & ob hoc amplius induratus. Et, cum ei dicerent uiri trimorati; Domine, parcite animæ ueſtræ; deſiſtite peccare; ne Deus pronocatus peccatorem in peccatis occidat: iterum reſpondit: Cum uenerit dies mortis meæ, moriar; non illum potero bene uiuendo extendere, neq; malè uiuendo præuenire. Volens illum pius Dominus a tanto errore miſeri-*

Pſal. 113.

cor-

corditer renocare, & reducere ad mentem, infirmitate periculosa cepit eum flagellare. Vocatus est medicus eius, vir bonus & discretus, & non solum in Physica, sed etiam in Theologia non mediocriter litteratus. Cui Princeps dixit: Ut vides, infirmus sum valde, adhibe curam, ut possim conualescere. Memor medicus illius erroris respondit: Domine si venit dies mortis vestrae, non vos poterit cura mea morti subtrahere; si verò morituri non estis de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille: Quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita cura diligentia, & diæta proposita, potero tam à me ipso, quam ab alijs imperitis negligi, & ante tempus mori. Audito hoc verbo Physicus multum hilaris effectus, data occasione respondit: Domine, si creditis, vitam vestram posse protelari virtute medicinae, quare hoc credere renuitis de poenitentia, & operibus iustitia, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quæ est in futura vita, nemo pervenit. Considerans Lant gravius pondus verborum, & quòd rationabiliter perorasset, dixit ei: De cetero esto medicus animæ meæ, quia per tuam linguam medicinalem Deus liberavit me a maximo errore.



*A Fati neceſſitate, omnibus ferè operibus  
humanis gulam interſtringi.*

Poſſet hoc exemplum & alios ab errore hoc liberare, ſi id vellent, apud ſe, ſeriò expendere. Nam, ſi dilemma illud verum eſſet: neque comedere, neque bibere, neque dormire, neq; laborare deberent homines, ſed omnia à *Fato* ſuo expectare ac dicere: Si moriendum mihi eſt, moriar etiam ſi bibam, etiam ſi comedam, etiam ſi dormiam, etiam ſi laborem: ſi non moriendum, non moriar, etiam ſi non comedam, non bibam, non dormiam, non laborem. Igitur neque comedam, ne bibam neque dormiam, neq; ſeram, neq; metam. Hoc pacto argumentatus eſt olim S. Antiftes Mediolanenſis, cōtra eos, qui omnia reuocant ad agendi neceſſitatem, ſcribens: *Cur laborat agricola, & non magis expectat, vt illaboratos fructus, priuilegio ſuæ natiuitatis inuehat receptaculis horreorum? Si ita natus eſt, vt ei dinitie atque opes affluant, & ſibi ſpontaneos redditus, ſine vlllo ſemine, & labore, terra parturiat: non vomerem aruis imprimat, non curuæ & manus falci admoueat, non legenda vindemia ſubeat expenſam: ſed vltro ei in omnes ſerias fluentia vi-*

S. Ambr.  
l. 4. He-  
xam. c. 4.

na fundantur, sponte ei oleū nullis inserta caudicibus siluestri olere bacca desudet: nec diffusi aquoris transfretaturus periculum propria salutis sollicitus mercator horrescat, cui otioso potest quadam, ut aiunt, sorte genitali diuitiarū thesaurus allabi. Sed non hac est vniuersorum sententia. Denique impiger depresso aratro terram scindit agricola, nudus arat, nudus serit, nudus sole feruente tostas aestate colligit fruges: & negotiator impatiens flantibus Euris intuito plerunq; nauigio sulcat mare. His talibus quotidianis exemplis clarissimum fit, nullam, in operibus humanis moliendis, Fati necessitatem, libero arbitrio industriæq; vincula iniicere; nec Fatum, si quod est, hominis in vtramque partem agendi facultatem excludere.

## §: XVI.

*Quo sensu Fatalis necessitas tolerari, aut, tanquam vera explicari possit?*

Quo intellectu veteres quosdam Fatum asserentes, non omnino reiicit D. Augustinus, cuius hæc sunt: *Qui verò non astrorum constitutionem, (sicuti est, cum quidam concipitur, vel inchoatur) sed omnium connexionem serièmq; causarum, qua fit omne, quod fit, Fati nomine appellabant; non multum cum eis*

S. Augustin. lib. 5. de Ciuit. c. 8.

de verbi controuerſia laborandum atq; certandum eſt : quandoquidem ipſarum cauſſarum ordinem & quandam connexionem Dei ſummi tribuunt voluntati & poteſtati, qui optime & veraciſſime creditur, & cuncta ſcire ante, quã fiant, & nihil inordinatum relinquere: a quo ſunt omnes poteſtates, quamuis ab illo non ſint omnium voluntates. Ipſam itaque præcipue Dei ſummi voluntatem, cuius poteſtas inſuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare *Fatum* ſic probatur. Stoici verba accipe: *Natura*, inquit, *hec mihi præſtat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud eſt natura, quàm Deus, & diuina ratio toti Mundo, & partibus eius inſerta? Quotiens voles, tibi licet aliter hunc authorem rerum noſtrarum compellare &c. hunc eundemq; & *Fatū* ſi dixeris, non mentieris. Nam cum *Fatum* nihil aliud ſit, quàm ſeries implexa cauſſarum, ille eſt prima omnium cauſſa, ex qua cetera pendent. Quacunq; voles illi nomina propriè aptabis, vim aliquam effectumq; celeſtem continentia. Tot appellationes eius eſſe poſſunt, quot munera. Hæc vt ſine errore Stoicorum intelligantur, intelligenda eſt mens Boëtij *Fatum* ſic deſcribentis, vt dicat, illud aliud nihil eſſe, quàm *inherentem rebus**

Senec.  
lib. 4 de  
Benefici-  
is. cap. 7.

Boetius  
l. 5. de  
conſolat.

*rebus mobilibus immobilem dispositionem*, per prosa 69  
*quàm diuina prouidentia suis quæq; necit ordi-*  
*nibus: seu, vt alij clariùs breuiùsq; definiunt,*  
*ordinem caussarum secundarum, diuinam pro-*  
*uidentiam exequentium.* Quia autem Deus,  
per medias causas, pleraque, in hoc Mun-  
do exequitur, & *quæ à Deo sunt, ordinata*  
*sunt*, potest illa ordinatio spectari, vel pro-  
ut in ipso Deo est, quo pacto *prouidentia* ap-  
pellatur; vel prout est in causis ordinatis,  
& à Deo, ad effectus producendos, directis;  
qua ratione ordinatio *Fatum* potest vocari,  
estque *ordo rebus mobilibus inherens*, quia  
causæ secundæ in quibus *Fatum* esse dici-  
tur, in se spectatæ mutabiles sunt, & hoc  
vel illo modo operari possunt; nuncupatur  
tamen idem *ordo immobilis*, non in se, vel ab-  
solutè, sed ad diuinam prouidentiam, vnde  
oritur, relatus. Per eiusmodi autem or-  
dinem seu dispositionem, dicitur *diuina pro-*  
*uidentia suis quæque necitare ordinibus*, quia il-  
lius interuentu re ipsa, perficit Deus, quæ  
apud se statuit facienda. Videt enim om-  
nia antè, quàm fiant: & alia quidem abso-  
lute statuit facere; alia autem facere, sub  
conditione; alia etiam permittere: quæ om-  
nia certò præuidet. Vnde illa, vt in scho-  
lis

lis loquuntur, *in ſenſu composito*, ſeu poſito, quòd præuideantur à Deo, qui falli non poteſt, neceſſitatem quandam, non *ante-*  
*cedentem*, ſed *conſequentem* accipiunt; quæ libertati non obſtat. Sicut non obſtat libertati urbem, ſua ſponte, ingredientis, quòd eum vigil in turri excubans videat ingredientem. Liberè ingreditur in urbem, & poſſet, non ingredi, ſi vellet, aut ſub ipſa etiam porta reuerti; quod ipſum etiam excubitor è turri videret. Si tamen ponamus, videri eum ingredientem à vigile, neceſſe eſt, eum ingredi, non quidem abſolute, & quantum attinet ad illius liberrimam voluntatem; ſed reſpectiuè, atque in ordine ad illum, qui eum conſpicit intrantem: non enim eum conſpiceret, ſi non intraret; nec poſſet non intrare, ſi intrare conſpiceretur. Hoc intellectu fortasſe Martianus ſcripſit, Parcas eſſe, librarias cælitum, archiuique cuſtodes, quæ ſententias Iouis, orthographæ, ſtudio veritatis, excipiant, apud Poëtas. Nam, in libro vitæ, & in diphtera diuinæ Prouidentię, inſcripta ſunt, quæ ſunt proſpecta: &, ſi proſpecta, vera ſunt: itaque certò atque infallibiliter erunt futura; licet non futura, & adeò etiam

am

am non prospecta esse potuissent, si, qui liberè agunt, aliter agere voluissent.

§. XVII.

*Suspectum Patribus, & periculosum Fati nomen, quo bono intellectu possit nominari?*

Hanc subtilitatem, quia non satis docti, non satis capiunt, *Fati* nomen antiquis Patribus & suspectum, & periculosum visum est; neque tamen, ob infallibilem Dei providentiam, omnino repudiatum. Hinc circumspectè D. Augustinus ait: *Omnia fato fieri, non dicimus, immo nulla fieri fato dicimus: quoniam fati nomen ubi solet à loquentibus poni, id est, in constitutione siderum, qua quisq; conceptus, aut natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus. Ordinem autem caussarum, ubi voluntas Dei plurimum potest, neq; negamus, neq; fati vocabulo nuncupamus, nisi fortè ut fatum à fando dictum intelligamus, id est, à loquendo. Non enim abnuere possumus, esse scriptum in litteris sanctis: Semel locutus est Deus, duo, hæc audiui: Quoniam potestas Dei est: &, Tibi, Domine, misericordia, qui reddis unicuiq; secundum opera eius. Quod enim dictum est, semel locutus est Deus, intelligitur, immobiliter, hoc est, incommutabiliter, sicut novit incommutabiliter omnia,*

S. Augustinus. lib. 5. de Civitate. c. 9.

nia, quæ futura ſunt, & quæ ipſe facturus eſt. Hac itaq; ratione poſſemus à fando fatum apel-  
 lare, niſi hoc nomen iam in alia re ſoleret intel-  
 ligi, quò corda hominum nolumus inclinari. Et  
 ibidem. Voluntas noſtra aliquid per ſe valent,  
 quia valituras atque facturas ille præſciuit, cu-  
 ius præſcientia falli non poteſt. Quapropter, ſi  
 mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret,  
 magis dicerem, fatum eſſe infirmioris, poten-  
 tioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate;  
 quàm illo cauſarum ordine, quem non uſitato,  
 ſed ſuo more, Stoici fatum appellant, arbitri-  
 um noſtrae voluntatis auferre. Vbi in compen-  
 dio habes, quidquid huc uſque diſputatum  
 eſt, nomen *Fati* vitandum Chriſtiano, aut  
 ita intelligendum, vt neque ab aſtris, neque  
 à cauſarum ordine vis aut neceſſitas libera  
 hominis voluntati inferri exiſtimetur; ta-  
 metſi Deus, etiam quæ liberè ac contingen-  
 ter futura ſunt, neceſſariò & non contin-  
 genter, ſed, certò ac infallibiter præuideat,  
 & vnicuique, ſecundùm opera eius, quæ  
 præuidet, reddere ſtatuat; ſiue præmia, ſe-  
 cundùm miſericordiam, ſiue ſupplicia ſe-  
 cundùm poteſtatem. Hinc ſicut à Quinti-  
 liano, ſua quiſq; *Fortuna* faber, ita etiam ſui  
 dici quiſque poteſt *Fati* author; prout enim  
 ſe ge-

se gerit, sic recipit. Sic Deus infallibiliter  
recepturum vidit, sic ab æterno, visis deli-  
ctis, aut meritis, incommutabiliter statuit:  
sic facta, antequam fierent, iudicavit. Qua  
de causa rectè Sophonias dixit: *Querite*  
*Dominum omnes mansueti terra, qui iudicium*  
*eius estis operati*: ita enim estis operati, sicut  
Deus ab æterno prævidit iudicavitque, vos  
mercede dignos; *querite ergo Dominum*, ut  
ab eo, quod meruistis, accipiatis. At quæ-  
rat aliquis, si homines, *Fato* non aguntur,  
sed diuina providentia omnia contingunt,  
quamobrè tanti *Casus* humana rotent? pos-  
set enim utique cælestis illa sapientia homi-  
nem, per compendia, ducere. Huic quæ-  
stioni etsi sufficerent causæ *Casuum* superi-  
ùs allatæ, paulò tamen deductiùs, est re-  
spondendum.

CAPVT. V.

*Rectas esse vias, etiam cùm Deus, per  
mirabiles hominem casus, & varias utri-  
usq; fortunæ ambages, deducit, il-  
lustri historia docetur.*

§. I.

*Ambagiosas quoq; vias, per quas hominem du-  
cit Deus, esse rectas.*

Olim



Exod. 13.  
17.



Sap. 10.  
10.

Matth. 11.  
12.

Lim cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terra Philisthym, qua vicina est: sed circumduxit, per viam deserti, qua est iuxta mare rubrum. Posset mirari quispiam, cur id fecerit? cum alibi dicatur: *Iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Sed, si quis rem iustis ponderibus velit expendere, deprehendet, illas ipsas viarum ambages, vias rectas extitisse. Causam tantarum ambagum Moyses ipse, de Deo ducente loquens, addit: *reputans, ne fortè poeniteret eum (populum) si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum,* si viam tam breuē iuisset: facile enim voluisset eam recalcare. Iam verò, tanto itinere confecto, noluit labores frustra exantlatos; ac proinde ad Aegypti obliuionem pariter, & ad amorem, pro terra promissionis, pugnandi, est impulsus. Siquidem vi potiùs perumpendum censuit, quàm quadraginta annorum suscipere denuò profectionem. Et fanè etiam terra lacte & melle manans digna fuit, quæ per tot ambages quæreretur. Sic homines ad *regnum quoque celorum*, quod *vim patitur*, ducit Deus. Ad quod, si breuis & leuis via esset, exigua hominis virtus, par-

parua gloria foret, coronā cœlestem promereri. Quin neque ad seculi honores via leuis, aut breuis est. Omnes sceptrā ambirent, ni vulnera obstarēt. Neq; inueniretur, qui terram hanc, velut AEGYPTŪ, vellet relinquere, si tā breuis & compendiosa via esset, ad Mundi titulos ac prosperitates. Hoc est, deducere *inustum per vias rectas*, ita ducere, per Mundū, vt illi Mundus amarescat, cupiatq; pugnare, & quiduis pati; pro vita illa regnōq; omni amaritudine molestiāque carente. Quantas autem hominem Deus deducat, & quā vtilis per ambages, quāmq; illi, velut in columna fortissima mollissimæ nubis, potenter suauiterque semper adsit, dum læta tristibus, & tristia lætis permiscet, omnes historiæ sacræ, & profanæ docuerunt. Diuinæ nimirum sapientiæ consilium est, sic illustrare mentes generosas. *Rutilij innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam*, ait ille; *dum violatur, effulsit. Nunquid non sorti sue gratias egit; & exilium suum complexus est? De his loquor, quos illustrauit Fortuna, dum vexat.* An AETHNA possit sublabi, & in se ruere, an illud excelsum cacumen & conspicuum per vasti maris spacia deteterat assidua vis ignium, dubitatur: *vir-*

H *tutem*

Seneca  
lib. 1. e-  
pist. 89.

tutem non flamma, non ruina inferius adducet. Hæc una maiestas deprimi nescit: nec proferri ultra, nec referri potest. In medio consistit, procellis vndiq; circumfremmentibus. Obruta fluctibus emergit. Quassata ventis, consistit. Abducta auijs, in semitam redit, quia Deus deducit illam. Quod in historia iuuenis, ad summa, per omne obstaculum, emergentis accipe, & mirare.

## §. II.

Conradi II. Imp. seuera iustitia, & Lupoldi metus ac fuga.

Card. Ro.  
bert Bel-  
lar. lib. de  
script.  
Eecl.  
An. 1186.

Gotfrid.  
Viterb.  
chron.  
part. 17.  
Eandem  
histori-

Gotheфридus Viterbiensis, Conradi I II. & Friderici I. Imperatorum notarius, scripsit *Chronicum vniuersale*, quod appellauit *Pantheon*, quod omnium tum Ecclesiasticorum, tum temporalium Principum res gestas contineat, & principes Dij, in S. Scriptura, appellentur. Hoc opus partim prosa, partim ligata oratione scriptum ipsi Urbano III. Summo Pontifici dedicauit. Vnde non exigua ei authoritas accedit. Hic ergo Gotheфридus Viterbiensis aliq; scriptores tradunt de Conrado II. Rom. Imperatore, eum fuisse Principem admodum sapientem, iuris ciuilis peritum, & religioni Christianæ valde addictum, multisque, per Poloniam,

Ita.

Italiam, Galliam, Burgundiâinque victo-  
rijs clarum, & iustitiæ tam tenacem, vt nul-  
li pacis violatori, aut rebellionem molien-  
ti veniam daret. Itaque, post multos, in  
nominatis regnis, sceptrum aliamûe pote-  
statem tyrannicè affectantes bello subactos  
extirpatosque, magnus, inter omnes, me-  
tus, vim, ambitionem, turbationemq; pu-  
blicæ tranquillitatis diu cohibebat. Quan-  
quam, quid dico, diu? nulla, in hoc mun-  
do, etsi per aliquot annos perseveret, est diu-  
turna tranquillitas. Comes ergo quidâ Lu-  
poldus nomine, (Luifius ContarintusLant-  
poldum Palatinum de Bauaria, Martinus  
Crusius Diopoldum comitē Caluensem Sue-  
uum nominat) rebus aliquamdiu pacatis,  
capit consilia turbulenta agitare, quæ vbi  
vidit emanasse, mortem certam ab Impe-  
ratore metuens, fuga sibi censuit consulen-  
dum. Inter homines Cæsari placere cupien-  
tes, nusquam erat tutum habitare. Igitur  
ad feras, in remotâ ab omni humano con-  
sortio siluam Nigram seu Hercyniam, non  
procul à castro suo Calua, se recepit. Ibi,  
in tuguriolo, quod tumultuario opere ex-  
citârat, aut, vt alij volunt, in molendinø  
vacuo, cum vxore, solus latitauit, iram Nu-

am refert  
Luifius  
Contarintus, in  
diuers.  
exemplis  
virtut. &  
vitiõrum  
pag. 166.  
& Gioua-  
ni Villani nel 4.  
Martin.  
Crusius  
in Annales  
libus  
Sueuicæ.  
lib. 6.  
part. 2.

minis pariter placans, & deuitans Imperatoris.

## §. III.

*Lupoldi comitis eiusq<sub>3</sub> Fily Henrici admirabilis Fortuna, & afflicti Casus incertiq<sub>3</sub>, euentu lato certoq<sub>3</sub>, à Numine terminati.*

Deut. 32<sup>o</sup>  
39.

Hic nunc attendite, quàm verè dixerit Deus: *Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere.* Comes Lupoldus in aula penè fuit occisissimus; in silua tutissimus; sed diuina sapientia, in orbe terrarum, mirabiliter ludente, mox iterum percussus, iterum sanatus fuit; neque fuit tanta Imperatoris potentia, quæ posset eum de protegente cælesti manu extrahere. Texerat iam aliquanto tempore Lupoldum latebra sua satis. Sed quid semper tectum manet? Delectabatur Imperator venatione, quæ eum in intima non rarò nemora pertraxit. Aliquando igitur feras ardentius persecutus, dispersis aliò atque aliò focijs, viam & se amisit. Itaque, quàm licuit, exitum quæsiuit. Tandem, per densas arbores, sub initium noctis, ad eam ipsam casam delatus est, in qua Lupoldus præsidium suum credidit

didit esse constitutum. Viuendi ratio, in Comite atq; vxore eius, etiam vultum mutârat, vt ab Imperatore non agnosceretur. Pallor os infederat; genæ erant colore mustellino; capilli prolixè in humeros descenderant; facies rugis & squallore deformata carbonarium referebat; denique ipsa etiam in siluis barba siluescebat. Ita incognitus ipse, probè cognitum hospitio excepit Imperatorem, eique, quæ solitudo concessit, ruris, & agelli solatia ministravit. Cogitate quis tunc sensus Lupoldo, quis coniugii eius fuerit. In ambiguo utiq; consilio anxie deliberârunt, occultine Cæsarem atq; incogniti dimittere, an se prodere atque delicti veniam petere deberent? Miserum erat, in solitudine habitare; rogare veniam, periculosum; latere tutius esse arbitrabantur.

Quanquam prope plus Deus manifestauit, quàm ipsi occultauerunt. Ea enim ipsa nocte, qua Cæsar, apud illos, diuertit, vxor Comitis viro suo prolem masculam peperit. Qua genita, pariter vox vna pueri vagientis, & altera de cælo, ad aures Imperatoris accidit, his verbis: *O Imperator, infans iste erit tibi gener & hæres.* Ac, ne irrita esset, vox hæc eadem, tertia vice, est repe-

tita: *ô Imperator, infans iste erit tibi gener & heres.* Indomitas hæc verba, in animo Imperatoris, curas excitauerunt. Egône filiam meam rustico dem in matrimonium? ope mea, & bona mea ad hunc terræ filium transibunt? Non transibunt. Igitur, quod Herodi olim furor suggessit, vt regem Iudæorum esse delineret; id etiam suggessit Conrado inuidia. Somno omni ablato, vix diem expectare poterat, alioqui non molliter cubans. Quare, prima luce, inde se proripiens, famulos comitésq; suos quæsiuit. Nec minore sollicitudine quæsiuerunt illi Imperatorem. Vt citiùs se reperirent, canum latratus indicium fuit.

Quàm primùm in suos incidit, duobus seuerè mandauit, vt mapale, non ita procul dissitum, quærerent, in quo ipse pernoctârît. Illi nihil aliud diuinabant, quàm præmium hospitij se ad loci inquilinum relatu-ros; cùm ecce longè aliud mandatum accipiunt, ac, præmij loco, luctum in pauperem domum portant. Iuramento astrictis præcipit ira iniusta feruens Imperator, vt natum, præterita nocte, puerum occidant, & cor illius ad se referant argumento cædis  
pera-

peracta. Eunt inuiti percussores, lares, parentes, & infantem, in sinu matris, iacentem inueniunt: paucis, quid facere iussi sint, exponunt. Quis tunc sensus, quæ mens fuerit, ad hunc nuncium, mœstissimorum parentum, vos cogitate. Nempe, inquiebant, hoc meruimus hospitij, & quidquid in eo erat, oblatione? Hæc gratia reponitur? Infans vnum diem non integrum viuet? Quid autem hic peccauit? cur non potius parentes interficiuntur, in filio superuicturi? Vox de cælo missa, ô Imperator, tibi irâ inflammavit. Contra superos, non contra mortales, pugnas; illis causam, illis sobolem nostram committimus, quando vim vi repellere non conceditur. Tu, Deus, hunc nobis filium dedisti; tu eum recipe; si uolueris, *generatio & generatio laudabit opera tua: Ps. 144. 4.* & *potentiam tuam pronuntiabunt.* Ita locuti, vltimum haud ambiguè, osculum infanti impresserunt, lachrymis genas illius calefacientes. Molliti sunt penè & ipsi tantæ crudelitatis legati paterno affectu; sed, vt fit, metu Imperatoris non ausi sunt esse clementes in innocentem; veriti, ne, alijs submissis & puerum inuenturis, ipsi periclitarentur.



Abripitur infans, & viuum funus, è domo sua, vident efferi miserabiles parentes. Igitur nemo restabat, qui aut opem ei ferret, aut causam, pro eo, peroraret. Solus **Pf. 145.7.** Deus, qui *erigit elisos*, ex infante ipso oratorem fecit, omni Cicerone, eloquentiorem. Nihil erat, quod in recens nato puero non loqueretur. Cum fleret, mouebat; risu precabatur; motu brachiorum videbatur concionari. Sed nihil disertius fuit, quam forma, & proportio totius faciei. Quoties ergo puerum aspiciebant satellites, animus illis variabatur; sentiebantque, naturam reluctari, quotiescunq; manum capulo admouebant, ad illum iugulandum. Tandem vnus eorum ait: Vultui inscripsit natura indolem, atque è flore apparet, quis fructus sperari possit. Nefas est interficere tantam venustatem. Ego manus meas hoc sanguine non impiabo. Neque ego, inquit alter. At quid, si exponimus, continget derelicto? Quid interest, à ferrone pereat, an à lupo deuoretur? Placuit eum arbori imponere, &, velut peregrinam auem, in nido collocare. Inde liber euolauit aquila olim futurus. *Frustra enim iacitur rete, ante oculos penatorum.* Erras, Imperator: quod è cælo au-

**Prou. I.**

**17.**

audisti, fiet; non quod, inuito caelo, cruenta manu es machinatus. Frustra Moysen Pharaon voluit infantem in flumine aquis suffocare: frustra infantem Christum Herodes militum ferro trucidare. *Qui habitat in adiutorio altissimi: in protectione Dei caeli commorabitur.* Psal. 90.  
1.

Infante, intra ramos, à trunco, in orbem diffusos, composito, noua satellitum mentes pulsauit cogitatio. Etenim in signū interfecti pueri, cor eius iussi sunt ad Imperatorem afferre infandæ lanienæ ministri: absque hoc si venirent, se ipsos, tanquam perfidos, videbant vitam perdituros. Trahebant, velut in venatu, secum duos venaticos canes. Igitur vnus fune ad se rapiens canem, En, ait, hunc tibi vertagum, acrem, expeditum,

Martial.  
lib. 14.

*Ille sum leporem qui tibi dente feret.*

Leporis cor, pro pueri corde, ostensum, factis testabitur, nos mandata esse executos.

*Dixit: Ecce lepus iuuenum per crura resurgens* Gotfrid.  
Viterb.  
loc. cit.

cani se capiendum, & satelliti necandum, quasi succidaneam hostiam, obiecit. Adeo in historia hac verum est, quod olim, in fabula, de cerua Iphigeniæ substituta, fi-

H 5 etum

Etum fuit. Cor execant lepori, tepidúmque referunt Imperatori, à quo, de fidelitate laudati, etiam præmium acceperunt simulatæ crudelitatis.

Dum hæc ab Imperatore geruntur, puer expositus & fame periturus, qui gressu se mouere non potuit, ploratu alios acciuit. Dux quippe in aula clarissimus (Ducem Alemanniæ Ernestum II. vocat Crusius) eodem loco, errans, immo velut Angelus ad Agar, à Deo missus expositi infantis audiuit eiulatum. Verso igitur equo, vocem sequitur, puerum velut nouum Oedipum inuenit; & miseratione motus, nemine sciente, domum portat. Erat illi sterilis vxor, qua eiusmodi etiam sibi filium optante, ait: Quid si, cum natura negat, Deus hunc nobis filium dedisset? Censet coniux eum adoptandum. Enimuerò, ait, Dux quid si de te natum fingas, prolemque tuam ac meam esse affirmes? Placet feminæ consilium, iubetque, intempesta nocte, de lecto surgere Ducem, atque omnibus, cum gaudio, nunciare, *Ducissam peperisse*. Volat fama, & creditur ubique speciosum mendacium. Nec minus versute maritus patrem, quam vxor puerperam simulauit. Fit concursus, existit gratulatio;

lau-

laudatur partus, & , consueta adulatione, dicitur ab omnibus patrissare; nomen illi inditur Henricus. Qui etsi non verus fuit Ducis gnatus, veris tamen vtrumq; gaudijs impleuit; quòd annis procedentibus, virtute, scientiisq;, ac præsertim arte militari mirificè excelleret, omniâq; decenter ageret. Hæc tam secundâ Henrici fortunâ, Stygius Alastor, non longè post, conatus est euertere.

Quintum decimum iam agebat Henricus annum, cum, posita prætexta, ad paludamentum atque militiam aptabatur. Eo tempore, Ducem Rauenspurgi inuisit Conradus Imperator. Henricus, vt par erat, inter primos astitit, qui ei ministrabant. Sed & inter primos eminuit: forma recens: facies nitida; capilli flauï & succino æmuli; statura, qualis heroëm decet, nihil in eo vulgare ostendebant. Hunc attentius contemplatus Cæsar, cepit secum primò reputare formam, tum mores, tum quo stemmate esset oriundus. Ducem igitur interrogauit: Cuiusnam puer iste esset? Duce suum esse asseuerante, cepit cogitare, quo pacto tam annosæ sterilitatis mater filium, post tot matrimonij lustra, peperisset; deinde, malo genio semper deteriora suggerente,  
alia

alia ex alijs connectens , fictitium esse filium illum censuit ; tandem suspicatus est , hunc ipsum esse puerum , quem in silua , interfici iussisset ; quique ad regnum ac diadema , cælesti voce , esset designatus . Metuens igitur sceptro vel incertæ statuit suspitioni obsequendum , puerumque , securitatis causa , è medio tollendum , cuiuscunque parentis esset . Ad hoc consilium perficiendum , laudat Duci filium , eumque Achilli æquiparat ; laudatum petit à parente , inter aulicos porro proceres educandū . Obtendit Dux Henrici ætatem teneram ; obijcit litterarum adhuc exactiùs addiscendarū necessitatem , & mille talia . omnia in cassum . omnia enim vel elidit vel eludit Conradus . In summa , abducitur , inuito patre ; iuuenis , in silua , seruatus , periturus in aula . Abductū seriò interrogat ,

*Quod genus , unde domo , qui te genuère parentes ?*

Henricus , quia aliud nesciebat , id , quod putabat se scire , respondit : *Ducem esse suum parentem , Ducissam matrem , ab his se à teneris unguiculis eductum ; neq; aliud sibi constare .*

O suspicio , quàm indomitum es malum ! & quantorum fons malorū ! Qui Duci non adhibuerat fidem , neque puero credit , & ,

Furijs

Furijs animum stimulantibus, æmulo exitiū parat. Aberat tunc Aquisgranū septem dierum itinere ab Imperatore, eò, sua manu, Cæsar exarat litteras quibus Imperatrici mandat, vt, accepta epistola, latorem eius illicò iubeat interfici. Litteras in hunc modum compositas Henrico tradit, tanquam nouo Vriæ, & Bellerophontæ, vtique; iubetque &, secretò, & celeriter ad Imperatricem perferre. Portat ille nescius & exultabundus mortis suæ compendiū: &, ne tardiùs veniat ad suum macellum, quanta contentione potest properat. Quod multis hodièque contingit, qui sibi plaudunt, cum à Principibus, vel Regibus, vel Imperatoribus legationem, per speciè honoris, accipiunt, in perniciem omnium suarum fortunarum; neque rarò in æternæ salutis iacturam. Quod alta mente reponere debent magnates, generosi, atq; illustres; qui sæpe suo de exitio triumphant. Quod & huic Henrico contigit.

Sed iterum hîc mihi exclamandum est:

*Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cali commorabitur.* Psal. 90.  
Siquidem iuuenis  
iste omnium malorum insidiarumq; inscius,  
de via diuertit ad quendâ sacerdotem (Spi-  
ren-

rensem Decanum quidam vocant) cibum & quietem capturus. Excipit tractatque eum perquam humaniter sacerdos. A mensa surgentem, & lassitudine victum, in scamno, recumbentem dormire finit. E pera dormientis litteræ conspectui se se exeruerunt. Ibi curiositas sacerdotem incendit sciendi, quid noui illis litteris portaretur. Clam educit illas, aperit, legit funestum theta. lectæ attonito è manu ceciderunt. Ergone tu, iuuenis, inquiebat, necis tuæ ipse es baiulus? ergo tam insignis indoles peribit? ergo tam præstans heros morietur? nequaquam morietur. Et, cum dicto, quæ nocuissent, rasit, eorumque loco, scite reposuit: *Cum uideris hunc puerum, ô Regina, statim da ei filiam nostram in uxorem, sicut diligis vitam tuam.* Has sic emendatas litteras scite iterum clausas in iuuenis saccum reposuit dormientis. Orto die, Henricus, gratijs hospiti actis, abitum parabat. Cui hospes & ipse iter lætum precatus, obsequia obtulit, etiam atque etiam rogans, ne sui obliuisceretur, si rex fieret. Excepit hoc dictum, cum risu Henricus, tanquam ioco prolatum, festinusque Aquisgranum deproperauit.

Aquisgrani Imperatrix lectam epistolam  
filie,

filia, vnà cum iuvene latore; dein etiam reliquis aulae proceribus; denique & curiae ostendit. Respondent omnes, ipsam iuuenis egregiam formam, epistolae instar, esse; verba, mores, gestus generosae mentis argumentum praeseferre, & si haec deessent, tamen Caesaris tam seriae voluntati satisfaciendum. Fit extemplo ingens apparatus: & ante solem occasum, extemporales nuptiae, ingenti omnium gaudio, celebrantur. Postera luce, alterae à Caesare adsunt litterae, quibus scire se velle, scripsit, num ea, quae in praecedentibus, mandarat, facta sint? Rescripsit Imperatrix, difficile quidem sibi accidisse, vt, tantis temporum angustijs circumscripta, nuptias filiae cum Henrico adornaret, mandantis tamen Imperatoris adeo seuerae authoritati & se, & omnes actutum parendum iudicauisse: habere igitur & iuuenem sponsam regiam, & filiam sponsum regio sanguine dignum. Legit, & obstupuit, tam inexpectata responsione Caesar, atque illico se in viam dedit, & quam festinatissimè Aquisgranum profectus obuiam habuit Imperatricem, ac filiam, quae sponsum, immo iam generum Imperatori manu ductum praesentauit. Ibi certamen in  
pe-



pectore Imperatoris extitit, quale nunquam antè, in vita sua, est expertus. Hinc ira, inde clementia; hinc furor, inde ratio; hinc vindicandi libido, inde diuinæ prouidentiaæ modus colluctabantur: Tremuit ad hunc aspectum iuuenis; expalluit recens nupta; externata est ipsa Imperatrix: omnes se se putabant interituros. Vicit tandem ratio; perorauit natura, præualuit Deus: Mutato itaque vultu, Cæsar lætus iam, & omni ira depulsa, Imperatrici, notisque nuptis arridens dixit: Verè Deus, *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Verè Dominus *Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?* Subiungit Imperatrix: Deus hoc fecit; cuius sapientia immensa, cuius potentia infinita est: huic laudes dicamus. Vnum tamen me angit, & pacem habere non sinit, incerta profapiaæ origo. Si sciuerò, generum me habere stirpis antiquæ, beatam me existimabo. Adigitur dux, ipsa euentus prosperitate, adiguntur duo satellites, ad verum sponte sua prodendum. Fatentur, quæ egerunt. Vocatur è filia Comes, qui cum se ad supplicium putaret citari, filium inuenit Cæsaris generum factum. Martinus Cruisius in Annal. Sueuiæ lib. 6. part. 2. ex quorun-

Psal. 75.

8. Iob. 9.

4.

rundam sententia confirmat, quod Luifius Contarinus scribit, etiam factum Imperij successorem: quod etsi alijs Henricum alium successorem nominantibus non conueniat, tamen aptè potest ad mores trahi: vt mox audiemus. In loco, vbi Comes delituit, Monachis templum struitur & domus, quæ Hirsaugia appellatur, notissimum hodièque, in Wirtenbergia, monasterium, cuius vt illustrior esset natalis origo, à tantorum Principum *casibus* fuit accipienda.

CAPVT VI.

*Historia Superioris ambages & CASVS, per corollaria, explicantur.*

§. I.

*Quinam supra dictum Comitem malè imitentur?*



Tinam Comes iste, siue Palatinus, siue quicunq; alius, haberet multos imitatores! Enimuerò habet multos, sed rebellando. Habet etiam multos, qui in gratiam Principum recipiuntur: sed paucos, qui sic recepti, curent etiam in Numinis gratiam recipi, atque, vel de spolijs & rapinis suis, ædes Deo Diuisq; sacras

exstruant. Atqui idcirco Deus illos percussit, vt icti saperent; idcirco deiecit, vt mente vnà cum fortunis erecta, resurgerent fortiores, diuinumque, posthac, cultum promouerent; non vt templa expilarent, aut loca Deo dicata euerterent, quæ illorum maiores, per tot prodigia excitati, foundationibus liberalissimis condiderunt: ducti vtique, *per vias rectas*; cum isti, tanquam impij, *in circuitu ambulent*, dum ad opes rapiendas reuertuntur, quas illorum pro aui Deo donauerunt. Sed hæc missa faciamus, quia odiosum est, vlcera tangere.

*Psal. 11. 9.*

§. II.

*Omnes hominũ vires & conatus, contra Deum euntes, irritos fieri.*

Multa sunt alia, quæ, ex memorata historia Henrici, erui possunt documenta. Nam & quàm imbecilles atque irriti sint hominum conatus, si diuinæ obnitantur voluntati, & contra stimulum calcitent, perspicuè apparet. Frustrâ nitimini, qui cælo repugnatis; cum Sisypho saxum voluitis, qui consilia contra superiores fabricatis: etiam si gigantes sitis, sidera tamen non expugnabitis: inania meditamini, *ô reges terræ & principes, qui conuenitis in vnum aduersus Christi-*

*Psal. 2. 2.*

*Chri-*

Christum eius. Non est enim in hominis potestate consilium Dei. Vestra potestas, in paucos annos durat, potestas eius in generatione & generationem. Potestas vestra iubere potest; illius potestas facere. Nam data est a Domino potestas vobis: ille à seipso habet potestatem, cui omnis potestas cedit; quoniam magna potentia Dei solius. Itaque frustra filios vestros absconditis, parentes; frustra in peregrinas terras mittitis, vt Deo subducatis. Frustra æmulos vestros, ò aulæ; dolo, ferro, veneno petitis; si illis diuina prouidentia regnū præparauit, digitulo vno non attingetis. Frustra vos, ò portæ Inferi, Ecclesiam impugnatis: *Portæ Inferi non preualebunt aduersus eam.* Frustra vos, ò impij, pios monitores persequimini: *custodit Dominus animas Sanctorum suorum.* Potest eas, per tela, per ignes, per omnes machinationes vestras, per mille discrimina, per Iordanes, per maria, per leones, per caminos ignis ardentis, educere ad felicitatem. Aspera hæc quidem, sed, etiam per ambages, restata est via.

Daniel. 3.

100.

Sap. 6. 4.

Eccli. 3.

21.

Matth.

16. 18.

Psal. 96.

10.

§. III.

In Comite Palatino, vices alternans For-

trina.

I 2

In

In memoriam reducite alternas cū procellis vices, quas in historia paulo prius recitata audiuiſtis. Comes Palatinus prosperitate extollitur: mox metu iterum deprimatur. Fugit in ſiliam, & latebris gaudet: ſed aduentu Cæſaris externatur. Denuò lætatur, ſe non agnoſci; & natum ſibi filium gratulatur: ſed intra paucas horas, quanto luctu, eundem amittit? Filius ipſe infans, è ſinu matris abripitur ad lanienam. Inde tamen liberatus, in Ducis filium adoptatur. Apud hunc, cū maximè floret, in ſuſpicionem, & præſentiſſimum vitæ periculum venit. Currit ad necem, & inuenit Cæſaris filiam in vxorem. Quanta hæc eſt viciffitudo? Hæc Dei via eſt, etiam de laqueo ducentis ad diadema.

## §. IV.

*Sapientiſſimè conſtituta, in terris, rerum omnium viciffitudo.*

De Corintho dictum eſt: *Hæc collibus atollitur, & vallibus deprimatur.* Quod & de Roma poteſt affirmari, quæ ſeptem collibus eſt celebrata. Quin & tota terra ita eſt conſtituta, vt nunc per plana, nunc per aſpera, nunc per ſumma, nunc per ima ducat; nunc prata, nunc flumina, immo tota maria euntibus

tibus obijciat. Hac inæqualitate vitæ humanæ varias vices & casus, viamque ad cælum tendentiũ, velut emblemate quodam, descripsit Deus. Ita homines sursum feruntur & deorsum. Maritimi mores, sunt mortalium mores; semper fluctuant; semper alternant. Tolluntur ita, vt *Iam iam tacturos sidera summa putes*. Deijciuntur ita, vt *Iam tacturos Tartara nigra putes*. Hinc, in bello, *Arcus fortium superatus est sæpissime: & infirmi accincti sunt robore; quique paulò antè pugna superiores fuerunt, iam victi triumphantur; & in contrarium triumphant, qui fuere triumphati*. Hinc *repleti prius*, ad vomitum ac satietatem, paulò post ad incitatas redacti, tanquã mercenarij pauperrimi, *pro panibus, se locauerunt*: in contrarium autem, *famelici saturati sunt*. Et si de mulierum æumnis, aut superbijs est quæstio, sæpe *sterilis*, cum Sara, Anna Elcanæ, Elifabètha, *peperit plurimos: & quæ multos habebat filios*, quæq; de ijs superbe alias contempsit, tanquam Niobe aliqua, *infirmata est*, amissione omnium liberorum. *Quia Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & subleuat. Suscitatur de puluere egenum: & de*

1. Reg. 2.

4.

Ibid. 7.5.

*stercore elenat pauperem; ut sedeat cum principibus, & solium gloria teneat. Quòd planè perspicuum fuit, in Henrico Comitis Palatini filio. Usque adeò non in diuersis duntaxat, sed in eodem etiam homine hæc est diuersitas, ut acerba dulcibus temperentur, & dulcia amaris restringantur: quæ non meruit, qui acerba non gustauit. Nam per patientiæ ac Virtutis templa, ad templum Honoris gloriaq; transeundum etiam Ethnici censuerunt. Quorum est & illud: *Dip laboribus omnia vendunt. Nec quidquam pulchrum, nisi difficile.* Recta igitur est via, per laborum & aduersorum ambages. Felix, qui Fasten piscem imitatur, in cuius ore maritima aqua falsaque mox fit dulcis. Nam bona indoles amara quæq; sua dulcedine temperat, & ut Plautus loquitur, *Optimum est erumnae condimentum equus animus.**

Vincent.  
lib. 18. c.  
54,

§. V.

*Varij heroës, quos in varios infestosq; Casus, demisit Deus.*

Hac via Deus Noë deduxit, in arcæ cererem eum includens, & lamentabile diluuium tot cognatis, tot affinibus eius, & toti Mundo inducens; sed *per contemptibile lignum iustum gubernans, & ipso, in quem eum inclu-*

Gen. 7.6.

Sap. 10.4.

inclu-

inclusit, carcere, & tantis fluctibus libera-  
uit. Hac via profugum ira fratris iustum Ia-  
cob deduxit per vias rectas, & ostendit illi reg-  
num Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: ho- **Gen. 28.**  
nestavit illum in laboribus, & complevit labo- 5.  
res illius. In fraude circumvenientium illum  
affuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit  
illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit il-  
lum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret,  
& sciret, quoniam omnium potentior est sapien-  
tia. Nam Patriarcha iste iam primogenitu-  
ræ privilegio auctus, iam odio fraterno gra-  
uatus; iam benedictione patris, iam fratris  
comminatione vices alternavit; iam exilio  
miser, iam ovium foetu locuples: diuturnam  
servitutem serviens circumventus est, & pro  
Rachaële Lian, sed & ipsam etiam tandem  
Rachaëlem adeptus, mæstas lætāsque nup-  
tias celebrauit. Neque in reditu sine pericu-  
lo fuit, Laban Deos suos repetente; & Esau  
cum valida manu occurrente; ut adeò & à  
tergo, & à fronte premeretur. Idem tamen,  
quem homines agitarunt, Angeli vel col-  
luctantes, vel in scalis sursum ac deorsum &  
ipsi commeantes, recreauerunt. Hac via  
Deus *venditum iustum non dereliquit* Iose- **Sap. 10.**  
phum, sed a fratribus peccatoribus, & ab AE-



gyptijs calumniatoribus liberavit eum : descenditq; cum illo in foueam , & in vinculis non dereliquit illum : donec afferret illi sceptrũ regni , & potentiam aduersus eos , qui eum depri-  
mebant : & mendaces ostendit , qui maculauerunt illum , & dedit illi claritatem æternam.

Gen. 37.  
2.

Gen. 37.  
9.

Mira varietas; miræ vices, miri fluctus. Charissimus Patri, fratribus fit odiosissimus. Castissimo insidiæ fiunt ab ijs, quos de crimine pessimo accusauit. Is qui modò florida veste conspicuus & alijs prælatus fuit, tunica spoliatur polymita. nudatur. Is qui viderat, quasi solem & lunã, & stellas undecim adorare se, in cisternam veterem mittitur; quasi mancipium venditur; traducitur, quasi adulter; compingitur innocens in catenas; & tandem, per carceres ascendit ad solium, per catenas venit ad coronas: per vincula euectus est ad sceptrum. Quippe etsi rex non fuerit, par tamen propemodum fuit illius potentia, cum regia potestate. Per has ambages illum Deus deduxit; quis neget, per vias rectas deduxisse? De Iob, quid opus est multa commemorare? Ille potentissimus, felicissimus, & , quod plus est, etiam iustissimus, de solio in sterquilinum descendit, vt rursus, de fimo ad sceptrum eductus, de

ster-

stercore pauper eleuaretur. Quanta fuit metamorphosis, ex Cræso Irus, ex Iro Cræsus? & rursus ab omnibus colebatur, qui omnium fuit peripsema. Quis neget hanc rectam fuisse viam? Iustus erat antè & misericors, ac in pauperes liberalis; sed multò postea, in his virtutibus, confirmator. Quia plus discit expertus æstimare calamitates, vt etiam illa testatur, quæ dixit:

*Non ignara mali miseris succurrere disco.*

Dauid quoties fortunam sensit variatam? A proprijs fratribus reprehensus; à Goliath hoste irrisus; à Nabal neglectim contemptus; à Michol vxore, cum sarcasmo, spretus; à Semei conuicijs fauciatus; ab ipso Saule toties ad necem quæsitus; per hæc omnia, velut per atrocem, eamque non vnâ tempestatem, emerit ad summam dignitatem rex factus. Hæc via recta erat, quia erat via Heroum & generosorum; per qualem etiam Poëtæ fingunt, Herculem suum meruisse, vt inter sidera collocaretur. Horum sententiâ non voluptas, sed aduersa illum extulerunt.

§. VI.

*In ipsius Christi vita, quanta, fuerit, gloria & infamia rerumq; ceterarum vicissitudo?*

I §

Quid

Luc. 24.  
26.

Quid exemplis opus est? Nonne haec, atque eiusmodi plura, ipsum oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Ut homo debebat nos redimere; ut Deus nobis innotescere. Qua de causa alternum in illo fuit rerum secundarum & aduersarum regnum. Vix, eo in has auras nato, Angeli carmen Genethliacum cecinerunt, & insonuit, per campos, laetum illud: *Gloria in excelsis*

Luc. 2.14.

*Deo: cucurrerunt Pastores, & reuersi sunt glerificantes, & laudantes Deum, in omnibus, qua audierant, & viderant: properarunt ab*

Matth. 2.  
11.

Oriente Magi, & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & proidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Hæc iucunda & honorifica fuerunt; sed interuenere & præuenere iniucunda ac difficilia toleratu. Nam in propria venit, & sui eum non receperunt: non enim etiam nondum nato, erat ei locus in diuersorio.

Ioan. 1.

Luc. 2.

Neque locus erat, cum natus esset, de qua causa, inter bestias, in stabulo habitauit. Magna est diuersitas, inter pecudes iacere, & reges habere adoratores. Octiduum ierat, & iam cepit vulnerari; iam sanguinem fundere, cum circumcideretur, haud sanè

exiguo cruciatu. Laudatus est à Simeone & Anna, in templo, sed ad interneccionem mox quæsitus ab Herode, atque in exilium fugam facere coactus. In exilio quoq; , vt fit, credibile est, ei non pauca ingrata accidisse. Adultus interfuit nuptijs, interfuit & conuiuijs; sed & 40. diebus & 40. noctib; ieiunauit; sæpiusque esuriit, post magnos labores. Eum illi honorem exhibuit Magdalena accumbenti, vt calidis lachrymis pedes eius ablueret, atque illis capillis tergeret, quos antè ornauerat in omnem vanitatem. Sed hunc honorem Pharisæus importunissima murmuratione contaminauit, mellique acetum infudit. Aliàs cum, ob miraculorum patratiõnem, ab omnibus alijs pro magno Propheta, pro Filio, Dei, pro Messia haberetur; inuidia Iudæorum nonnullorum omni eum contumelia affecit; variorumq; impositione criminum onerauit. In monte Thabor, instar solis, effulsit, ipsaque etiam vestis eius, tanquã nix splenduit: vt iudicarent Apostoli, bonum esse, vt ibi habitarent. At quàm atrociter hunc montem mons Oliueti, ac mons Caluariæ compensauit? In monte Oliueti, *Tristis erat anima illius vsq; ad mortem*; & vestes eius,

in-

instar vermiculi ; sanguineo sudore madentes erubuerunt. Ibi illi ipsi tres Apostoli Petrus , Ioannes & Iacobus , non dixerunt : *Bonum est , nos hîc esse , sed & illi , & ceteri omnes , relicto eo , fugerunt.* Postea , vsq; ad vltimum spiritum , nullam bonam horam habuit ; omnibus totius corporis membris , omnibus animæ potentijs , omnibus modis , cruciatus est : falsò accusatus , iniustè damnatus , diriter flagellatus , spinis crudeliter coronatus ; clavis lanceisq; viuus ac mortuus immaniter transfossus ; nec sine summa infamia in patibulum adactus , inter latrones , atque instar latronum , interfectus est. Hæc via fuit ipsius Filij Dei : *hæc oportuit pati Christum , & ita intrare in gloriam suam.* Per talia , *datum est illi nomen , quod est super omne nomen.* Sic , media die , sol obscuratus , sic petra scissæ , sic monumenta aperta ; sic gloriosa resurrectio testata est , eum esse Dominum vniuersi.

Luc. 24.  
26.

## §. VII.

*Exemplo varijs Casibus aëtorum , nullum nos Casum grauiter accipere debere.*

Quod si igitur hæc via , per tot abrupta & scopulos , via recta est , cum sit via Sanctorum , & via ipsius Filij Dei : quis est , qui non

non sibi ipsi quotidie occinere debeat : *Si in* Luc. 23.  
*viridi ligno hæc faciunt , in arido quid fiet ?* *Si* 31.  
Christus innocens , impollutus , agnus sine  
macula ; si Apostoli sanctissimi , si Martyres  
cælesti amore ardentis ; si Eremitæ & ho-  
mines Deo charissimi , per tot tormenta , &  
aduersa , ad regnū & coronas peruenire de-  
buerunt : quid peccatoribus non erit tole-  
randum ? Hi non tantū eiusdem sunt , cum  
ceteris hominibus , conditionis , vt proinde  
illis cogitandum sit , vitam humanam sine  
malis esse non posse , atque idcirco ex neces-  
sitate virtutem esse faciendam ; neque tan-  
tū patientiam sibi exercendam constitue-  
re debent , vt patientiæ præmium merean-  
tur ; sed etiam innumera admiserunt , meri-  
tò luenda . Si igitur , loco æterni ignis , aut  
flammarum in Purgatorio subeundarum ,  
illis clementissimus Iudex iniuriam aut con-  
tumeliam à falso fratre irrogatam immit-  
tit ; si detrahi de honore , si de boni nominis  
existimatione , per mendacia , & vindictas  
alterius finit ; parcit , non sæuit ; limat , non  
mactat . Hæc est recta via , qua ex inuio re-  
ducuntur . Recta via est , si illi rectè per eam  
ire volunt : si non incipiunt murmurare ; si  
non conqueri , si non serere execrationes , si  
Deum

Deum non accusare, qui, *quos amat castigat.*  
 Et certè etiã qui Deũ maximè amant, maxi-  
 mè, pro nomine Dei, optant contumeliã, &  
 quiduis pati. Qui autem parũ amant, parum  
 illius amore tolerant: qui non amant, nihil  
 tolerant patienter. Nec enim tolerare suf-  
 ficit; cum etiam diabolus grauissima susti-  
 neat tormenta, quibus ferendis non modò  
 nihil præmij meretur, verum etiam semper  
 peccat. Diabolo itaq; similes sunt, qui quæ  
 ferunt, cum indignatione, & odio, & vin-  
 dicta ferunt. Malum igitur grauius reddunt,  
 quod grauius ferunt. Neque est, quòd di-  
 cant: *aliud malum libentiùs paterer; hoc quod  
 nunc premit, opprimit.* Stulti hoc dicunt. Non  
 est enim ægroti, vt Medico, sed Medici, vt  
 ægroto præscribat. Deus longè exactiùs no-  
 uit, quid nobis profit; in illum cogitatio-  
 nem nostram iactemus; illi erit cura de no-  
 bis; ille nouit, quali emplastro indigeamus:  
 ille dixit: *Mundus gaudet; vos verò contri-  
 stabimini.* Quamobrem Sancti sinunt se du-  
 ci diuina voluntate: nullos casus metuunt,  
 nullam fortunam formidant: sciunt enim  
 vias Domini esse rectas, & sic, etiam per has  
 ambages, rectè se duci ad diadema. Qui fi-  
 dit Deo, non aberrat. Ac, ne desperemus,  
 ad-

Ioan. 16.

aduersa lætis identidem temperantur; mutantque vices nunc amara, nunc dulcia: vt dicere possimus: *secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tuæ letificauerunt animam meam.* Conqueri non possemus, si per sola aspera duceremur: nunc aspera planis mitigantur. Ita bonus est deus, qui, ob nullos casus aterbos, iniustus esse est existimandus.

Psal. 93.  
19.

CAPVT. VII.

*Quinam, & quanto fructu, considerauerint, Casus omnes, non à Fortuna, sed à Deo mortalibus inueni?*

2. roma

§. I.

*Cùm Deus in omni Casu adsit, nullum iuste indignationi locum esse.*

**Q**ueniam ergo neque à *Fato*, neque à *Casu*, neq; à *Fortuna*, sed à Deo regitur Mundus; Deus autem neq; necessitatem hominibus, ad agendum iniicit; neque temerè aut fortuitò quidquam finit fieri; sed, summo consilio omnia dirigit, quæ illi, qui cæci sunt, cæcæ Deæ ascribunt, aut, *Casu* contingere arbitrantur: su-

pe-



Iob. 2. 10.

S. Augu-  
stin lib.  
4. de Ci-  
uit. cap.  
33.

Amos. 3.

perest, vt diuinam prouidentiam, bonita-  
tem, æquitatem inter omnes *Fortuna casus*,  
agnoscamus & veneremur, dicamúsque,

cum Iob: *Si bona suscepimus de manu Dei, ma-  
la quare non suscipiamus?* Vtraque enim ab  
illo. De bonis ait S. Augustinus: *Deus ater-  
na felicitatis author & dator, quia solus est ve-  
rus Deus, ipse dat terrena & bonis & malis.*  
*Neg, hoc temerè & quasi fortuitu, quia Deus*  
*est, non Fortuna: sed pro rerum ordine ac*  
*tempore, occulto nobis, notissimo sibi: cui ta-  
men ordini temporum non subditus seruit: sed*  
*eum ipse, tanquam Dominus regit, moderatórq;  
disponit.* De malis poenæ aut naturæ ait A-

mos: *Non est malum, in ciuitate, quod non fe-  
cit Dominus.* Cum itaq; tam mala ista, quam  
bona sint à Domino, meritò dicimus, in om-  
ni Casu aduerso: *Si bona suscepimus de manu*  
*Dei, mala quare non suscipiamus?* Dominus  
est, potest punire seruos; Pater est, potest  
filios castigare; Mundi Gubernator est, po-  
test bona malis, & mala bonis temperare.

## §. II.

*Tulipa, ad solem se pendentis, cum homine latè-  
duntaxat captantis comparatio.*

*Tulipam Dalmatæ ac Turcæ pileum vo-  
cant, seu amiculum capitis, quod gestare*

fo-

solent. Ab hac forma flori inditum est no-  
men, qui apertus inuersusque pilei illius ef-  
figiem refert. Hic flos visu iucundus, atq;  
insigni colorum pulchritudine admirandus  
summo cauli insidet sursum spectans, sex  
foliulis sæpe constans; interdum septem aut  
octo; in fundo, calathi, aut cyathi modo,  
se se pandit, è quo sena, aut totidem, quot  
sunt folia, stamina erumpunt; modò lutea,  
modò pallida, modò nigricantia; pedi-  
culis etiam, quæ stamina sustinent, mi-  
rum in modum colorem variantibus. Hunc  
talem florem alij æstimant si colore au-  
rum; alij, si purpuram imitetur; alij, si  
interspersis, per certa interualla, maculis,  
velut gemmis varietur; mihi, præ omnibus,  
in eo, obseruatione dignum videtur, quòd  
cognitione carens, tamen adeò accuratè ob-  
seruet tempestatem. Nam, ad radios sola-  
res, se pandit, lucemque toto sinu admittit:  
ast, vbi radios vel nubes, vel pluuiæ occu-  
pant, illico clauditur, & se contrahens lan-  
guescit, quasi principis fideris absentiam tri-  
staretur. Flori similes, sunt mortales. Quip-  
pe homo, *quasi flos egreditur* nascens; cres-  
cens autem, *tanquam flos agri, sic effloreat;* Iob. 14. 2.  
Pl. 10. 15.  
& *sicut fanum, dies eius morientis.* Estque  
K mag-

Psal. 48.  
19.

magna mortaliū varietas. Alij auro nitent, alij purpura eminent. Sed in hoc tulipa maximè æquiparantur; quòd, cum dies purus est, & sol serenus lucet; cum omnia læta & fausta; cum quidquid optant, impetrant; tum totos sinus pandunt, tum Deum salutant & laudant, iuxta illud: *confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Et quis hoc non faceret, cum etiam bestia beneficijs cicirentur? & canis eum sequatur, à quo panem accepit? Quod si verò *Fortuna* vultum auertat, si cælum nubibus obscuretur, si pluuia, si nimbi cadant *Casuum* aduersorum; tum animum contrahunt, tū languescunt mente, tum manu cessant, & cum cælo ipso tristantur. Neq; hoc satis est, sæpe etiam tonant contra Tonantem; quod fecisse Pharaonem legimus, & complures. Alij non indignantur verbis, non erumpunt in execrationes & Diras; animo tamen, & vultu, *Fortuna* sæuiente, sunt truculenti, ac, se fauciatos esse, profitentur.

§. III.

*Davidis flagella voluntaria suscipientis  
promptitudo.*

Psal. 29. 8.  
Psal. 37.

Talis Tulipa, quæ sole, eiúsque radijs subductis, se se contraxit, fuit David, qui ait:

ait: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Sed alibi se correxit dicens: *in flagella paratus sum.* Neque nominat flagella, sed quæcunque Deo visa fuerint, ad illa se animo paratum & vltroneam hostiã offert. Decebat enim, vt, à quo acceperat sceptrum, eius non repudiaret flagrum. *Elegisse quidem lego,* ait S. Augustini magister, *S. David flagelli genus, quod æquanimiter sustineret.* Sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligendæ vnius necessitas mandabatur. Ubi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei seruulus, seu corporalem agritudinem subeat, seu fugam à facie inimici, siue obitum filiorum, quos non timet præmittere, quia potest recipere imperterritus. Nam & sciens, quod, si hic fuerit punitus supplicio temporali, lenare in futurum perpetuæ possit pœnam ærumnæ. Rogat ergo, vt recipiatur petitio sua, & castigetur ipse, vt recipiatur. Castigat enim Dominus omnem filium, quem recipit. Si seruulum tuum videas peccata propria confitentem vltro offerre se pœna, inflecteris, ignoscis, & de Domini miseratione diffidis? Non contraxit se ergo Dauid, sed sin<sup>9</sup> tunc omnes expandit, ad flagella Dei, & ad fortunæ ictus excipiendos, vt castigatus ærumna temporali, æternâ eua-deret calamitatem.

S. Ambr.  
brof.  
tract in  
Psal. 37.

## §. IV.

*Patientia Iobi à Deo se percussum agnoscentis.*

Iob etiam ab iracunda vxore, tanquam à Furiarum aliqua, vt se contraheret, & tanquam miserum tragicè ludentis Fortune mancipium, in cælum fureret, non passus est, se loco moueri, sed perstitit, vt columna: cùmque & illa persisteret in eo incitando, diceretque: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere:* respondit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his, non peccauit Iob labijs suis.* Quare? quia vidit, mala se sua de manu Dei suscepisse, à quo castigari, est amari. Vnde & alibi ait: *manus Domini tetigit me;* manus vtique bona, & benigna etiam in malis, si ea, tanquam à Deo, & non tanquam ab homine, aut diabolo, illata patienter suscipiantur. Considera mihi *S. Iob*, ait idem supra laudatus Pater, qui *perfusus erat vlceribus, & concutiebatur omnibus membris, & plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terre vulnerum suorum sanis & humore resoluens, quemadmodum cum se in hoc corpore positus reclinare non posset, requie-*

Iob. 2. 9:

Iob. 19.  
21.

S. Ambr.  
in tract.  
de secun-  
da inter-  
pellat.  
Dauid.  
c. 4.

em mortis inuenerit: ideòq; conscius sui dixit: Mors requies viro. Is igitur in plaga non motus est, nec nutauit sermonis sui labrico, qui in omnibus illis, non peccauit labijs suis, sicut scriptura testatur: sed magis plaga suæ reperit firmamentum, per quam, confirmatus in Christo est. Ergo & Iob, & David, quia hinc flagellati sunt, firmamentū habuerunt in plaga sua, quia flagellat pater filium, quem recipit. Qui autem hinc non flagellantur, ibi non suscipiuntur ut filij. Ideòq; in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ut in perpetuo, cum diabolo flagellentur. Ideò obtinuit, eos superbia, cooperti sunt iniquitate & impietate sua.

§. V.

*Aduersæ Fortune summam octo remedia recensentur.*

Primum ergo ac palmariū aduersæ Fortune remedium (de quo etiam supra dixi) est, si consideres, esse illam à Deo, esse ab amante, esse à patre. At quidquid à patre est, gratum; quidquid ab amante, amabile; quidquid à Deo, optimum est, etsi malum putetur. Alterum remedium est, quia, ex aduersa Fortune, indicium habetur paternæ curæ, filium castigantis. Malis,

S. Ambr.  
in tract.  
de 2. in-  
terpellat.  
Iob. c. 4.  
Luc. 12. 5.

plerumque, quia non est illis timor, non est flagellum à Domino. Iustus autem dicit, Quoniam flagellatus sum, tota die; & optat flagellari, ut recipiatur à Domino, & vult timere Deum, quia timor Domini initium sapientia est. Quis non timeat eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam? Atque hoc tertium est, in aduersis casibus, solatium, æterna supplicia extinguere posse, præsentis vitæ calamitate. Quis in barathrum illud æternitatis, atque in immania damnatorum tormenta inspiciens, non dicat ad Deum: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas?* Quartum remedium, quia, infortunijs, homines in officio continet Deus, qui prosperitate tumescunt. Nam qui in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, eos tenet superbia; & qui miserijs non sunt cooperti, cooperti sunt iniquitate, & impietate sua. Quintum remedium, quia quos Deus percutit, è malis bonos facit. Plurimæ res percutiendo fiunt meliores. Lana, dum verberatur, purgatur. Ferrum tunditur, in incude, & quamcunque vis, formam accipit. Moneta percutitur, & signatur, valorémque acquirit. Cæditur asinus, & currit. Castigatur ho-

mo,

Psal. 72.  
5.

mo, & emendatur. Sextū remedium, quia bonorum virtutem ostendit, & exercet *Fortuna* tristis. Septimum, quia leue & momentaneum est, quidquid nobis accidit, si cum Martyrum, cum Christi, aut etiam, cum damnatorum doloribus comparetur. Octauum denique, quia per iratam *Fortunam*, via ad cælum, & præmium in cælo paratur. Hæc talia, qui in *Casibus* subitis atque funestis, apud se expendit, remedia habet omnis calamitatis; facileque potest, ad exemplum patientissimi illius Stephani (cui maleuolus, igne subiecto, quidquid de agro conuexerat, cum ipso horreo, combussit) magis dolere, ob peccatum affligentis, quàm ob afflictionem. Sed inspiciamus cursim singula remedia enumerata, ab hominibus pijs in praxin reducta.

S. Greg.  
l. 4. dial.  
c. 19.

§. VI.

*Tobias cecitatem à Deo immissam agnoscit, atque ea notitia, tanquam clypeo, impatientie authores remouet.*

Ad primum remedium quod attinet, nō agnouit tantūm David, & ante illum Iob, nulla, in hac vita, sine Dei nutu hominibus mala accidere, atque ideo ea accepta esse oportere; sed alij quoq; eadem vsi sunt ra-



tiocinatione. In diuinis litteris, magnis  
**Tob. 1. 2.** laudibus ornatur Tobias, nam *cum esset captus, in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, ita ut omnia, quae habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.* Adduntur miræ laudes aliæ, de eius, in ipsa iuuentute, gravitate morum, de fidei constantia, de exercitijs pietatis; de filij sanctissima educatione, de consolatione captiuis impensa, quibus *monita salutis dabat, de pecunia mutuò aut etiam in eleemosynas largissimè data.* Si quidem Tobias *quotidie pergebat, per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatq; unicuique, prout poterat, de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisq; vestimenta praebebat, & mortuis, atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* Hæc viri virtus, hæc merita fuere. Quæ merces est secuta? Quòd corpora interfectorum sepeliisset, rex Sennacherib *instit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.* Opes illi ablatae sunt: vitam fuga & *nudus latens* seruauit. Ad quid seruauit? ut reuersus, & conuiuio relicto, ad mortuos sepeliendos accurrens in nouam incidere calamitatem. Contigit enim, ut  
**Tob. 2.**  
**10.** qua-

quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretq; cæcus. Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, ut posteris daretur exemplū patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cecitatis eueniret ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo, omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: Ubi est spes tua, pro qua elemosynas faciebas? Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Non fuit Tobias inftar Tuliæ radios lucis excipientis, imbrem excludentis; æquè à Deo sciuit venire sibi cæcitatem, ac visum, atque idcirco non perdidit patientiam, non mutauit fidem; neque spem deposuit latioris vitæ, in cælo consequendæ. Qui se confidit, Deum, in cælo, visurum, libenter est cæcus in terris. Ad-

Senec.  
lib. 1.  
epist.  
74.

uersus hos casus muniendi sumus, ait Seneca. Nullus enim, contra fortunam, inexpugnabilis murus est. Intus instruamur. Si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest. Quod sit hoc instrumentum, scire desideras? Nihil indignetur, sibi accidere, sciâtq; illa ipsa, quibus ladi videtur, ad conseruationem vniuersi pertinere, & ex his esse, quæ cursum mundi officiûmq; consummant. Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc seipsum suaque miretur, quòd non potest vinci, quòd mala ipsa sub se tenet, quòd ratione, qua valentius nihil est, casum dolorémq; & iniuriam subigit. Amara rationem: huius te amor, contra durissima armabit. Ratio igitur potissima est, cogitare, casum tibi à sapientissima Dei bonitate missum esse; qui, per talia, Mundum iustissime moderatur.

## §. VII.

*Alaricus Gottorum Dux, & Semei, non sine diuina voluntate: ille Romanis, iste Davidi aduersus.*

Sozom.  
hist. Eccl.  
lib. 9. c. 6. &  
Socrat.  
lib. 7 c. 10

Neque enim permittit tantùm hæc, sed etiam immittit Deus, cuius testis est vel Alaricus Gottorum Dux, qui, Stilicone interemto, quia petitâ ab Honorio Imperatore pacem, non impetrauit, statuit, in festo exerci-

exercitu Romam obsidere. Ibi milite copioso ad Tiberim collocato, ne in vrbe necessaria inferrentur, adeò indefinenter obsidionem protraxit, vt fame primùm, postea etiam peste populus, in vrbe, vehementer laceraretur. Quod cum fieret, Monachus quidam Italus, Probus nomine, Romam contendit, atque Alaricum etiam atque etiam adhortatus est, ne tantorum malorum author esse vellet, sed vrbi parceret, extrema iam passæ. Respondit Monacho Alaricus, se sanguine non delectari, & sanè sibi lubidinem non esse, tot mala Romanis inferendi; *sed vrgerise à quodam continuè, qui sibi præcipiat, vt Romam vastet, quod & tandem fecit.* Præceptum illud diuinum fuisse, non dubitant authores: & adstipulantur diuinæ quoq; litteræ, è quibus, alio loco, docebimus, à Domino exercituum bella prouenire. Quod si ergo, Alarico teste, Deus nonnullis præcipit, vt alios persequantur, quid succensimus obedientibus Deo præcipienti? Fugienti David Semei maledixerat. Abisai igitur regē defensurus & maledico caput amputaturus erat, quem David his verbis inhibuit: *Quid mihi & vobis est, filij Saruie? Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit*

2. Reg.  
16. 10.

cepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere: quare sic fecerit? Nimirum non examinanda est caussa, si constat de auctore Deo, qui pro omni caussa nobis esse debet; cum sit suprema rerum caussa. Hac ergo Numinis voluntate, ô quisquis aduersa pateris,

Horat. 2.  
car. 0. 2.

*Aquam memento, rebus in omnibus,  
Seruare mentem.*

§. VIII.

*S. Lupus Episcopus Attilum, ut flagellum Dei reuerens, dum patienter acceptat, euertat; noua arte superandi hostes.*

Psal. 37.  
Ex Petr.  
in Catal.  
lib. 6. c. 1.  
& alijs  
Baron.  
An. 451.

Hoc remedio ad patientiam instructus & in flagella paratus fuit, eaque ipsa tanta animi præparatione flagellum à se suisque auertit S. Lupus Episcopus Trecentis. Attilæ Hunnorum Principi, eò cum exercitu venienti, sanctissimus Antistes habitu Pontificali indutus, cum tota Cleri multitudine, obuiam processit, & data, acceptaque salute, Attilam interrogauit, Quisnam esset, qui tot regibus deuictis, tot populis prostratis, tot euersis urbibus, tot nationibus superatis, cuncta in sua poneret potestate? Cui Attila: Ego, inquit, sum rex Hunnorum Attila: **FLAGELLVM DEI.** Ad quæ Lupus: Et

Et quis est mortalium, qui Dei flagello resistet?  
Veni, igitur, Dei mei flagellum; illòq; utere, ut  
Deus, concedit. Ad quæ verba Barbarus,  
diuina utiq; voluntate, emollitus Trecen-  
sem urbem illæsam pertransiuit, quam pri-  
ùs constituerat funditus delere. Enimuerò  
aiunt, cælesti virtute, tam totum exercitum,  
quàm ipsum, velut cæcitate astrictum, ne-  
mine vllò conspecto, à porta vna, vsque ad  
alteram portam, per totam ciuitatem tran-  
sisse. Quod etiam quondam, Elifæo orante,  
Syris euenit. Nimirum tanta est Numinis  
potentia, vt nemo possit resistere eius vo-  
luntati. Prudentiæ igitur est, & obedi-  
tissimæ subiectionis, de manu Dei, accipe-  
re, quod scias, ipsum velle. Neque citius  
eius ira placatur, quàm si te poenæ vltro  
offeras. Quemadmodum & parentes liben-  
ter culpam filijs condonant, quos vident  
delicta non excusare, sed ad ferulam, in-  
genue ac sponte sua, se sistere paratos. Ita  
*rectius atq; integer corrigit praua fortuna, &  
dura atq; aspera ferendi scientia mollit; immo*  
mollit ipsum Deum punientem, qui, poenæ  
loco, sæpe accipit patiendi voluntatem. Cur  
Deum non molliret, cum ipfos legamus ho-  
mines pepercisse ijs, quos videbant à Deo  
satis

4. Reg.  
6. 18.

Senec.  
lib. 1.  
epist. 98.

fatis castigatos, ne vulnus nouum adderent factæ cicatrici?

§. IX.

*Mauritij Comitiss miserias miserijs addere nō-  
lentis misericordia.*

Albertus  
Cranz.  
lib. 9.  
Metrop.  
cap. 40.

Sic egit Mauritius Comes Cloëmburgicus à Bremensi ciuitate, multis contumelijs, incensus: enimuerò, acceptis à magistratu litteris, quæ hostilia illi denunciarent; ad arma prouocatus. Hic vias publicas diu infederat, vt omnem vrbi commeatum intercluderet. Ventū est ad prælium. Pugna commissa. Bremenses magna clade afflicti atque fugati sunt. Secutus est fugientes victor exercitus. Ad confinia ciuitatis vbi accessit, contra omnem belli morem, vidit portas ciuitatis apertas, neq; ab vllō milite custoditas. Misit speculatum, qui tantæ negligentiae causam indagarent. Illi, cum tripudio, retulerunt, penes Mauritium esse, si vellet, tota vrbe potiri; ciuium, desperata salute, domi se quemq; tenere; quò ad deò immaniter pestis, vrbe tota, grassaretur. Ad narrationem hanc Mauritius altum ingemuit dicens: *Quia Rex supernus illam oppugnat urbem, nolo, vt accedat afflictis a Deo afflictio nostra. Multa mihi incunda, in hac vrbe,*

vrbe, fuerunt: si modo credidemus, redibit aliquando tranquillitas & reconciliatio: retrahamus ab illis manus, quos castigat serius rerum arbiter Deus, ne & in nos serpat contagio. Ita reduxit exercitum vir, qui eius vrbs videtur dignus imperio, quod tam benigno fuit animo in afflictam. Post aliquot autem dies, pax, inter Mauritium & Bremenses sancita est. Agnouit itaque Mauritius, non à Fortuna, sed à summo rerum Governatore, pestem vrbi immissam, atq; eapropter nolebat infestare humana manu, quos videbat diuina correctione verberatos. Adeò prodest, non tantum patientibus mala; sed etiam spectantibus, agnoscere malorum, quæ hominibus incidunt, Deum authorem; quo imperante, & velut signum dante, vel in arma mittuntur, vel ab armis discedunt. Optarem hanc cogitationem ijs, quorum animus vindictæ sitientissimus nullis potest miserijs, nullis inimici infortunijs satiari. Rident, quoties vident illum flere; &, tristitia illius, gaudent; si ardet aduersarij domus, pro aqua, oleum affundunt; si amisit pallium, rapiunt illi etiam indusium; si casu pedem fregit, caput illi diffractum esse vellent; denique si è vita est sublatus, omnibus



nibus verborum contumelijs mortuum in-  
fectantur. Quàm isti longè tutiùs, cum Mau-  
ritio, vererentur, ne aduersarij malum,  
quod, diuino iudicio non contenti, multi-  
plicat, serpat, immo resiliat in multipli-  
cantes,

Ouid. 5.  
de Tri-  
stib. eleg.  
9.

*Exigat & dignas ultrix Rhamnusia pœnas?*

§: X.

*Deus homines Casibus innoluit, vt orandi pre-  
beat occasionem; nec statim liberat, vt  
orationem efficiat ardentiorẽ.*

1. Reg. 2.  
7.

Prodest autem etiam ad hoc, scire Deum  
esse, qui malis habenas laxet, aut ea, in ho-  
mines excitet, vt nôrint placare eum, à quo  
illa irritato nôrunt provenire. Cum enim  
ille sit, qui pauperem facit, & ditat; humiliat,  
& subleuat, ad cuius opem potiùs recurre-

Psal. 3. 2.

rent? Hac notitia instructus David ait: *Do-  
mine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?  
multi insurgunt aduersum me?* Neque tamen  
tam hoc miratur, quàm quod illico sequi-  
tur: *Multi dicunt animæ meæ: Non est salus  
ipsi, in Deo eius.* Quasi Deus tantùm humi-  
liet, & non subleuet? Enimverò ea est Nu-  
minis bonitas, vt clementer puniat, & ini-  
stè parcat. Nam quem Deus plectit iratus,  
peccantem; audit placatus supplicantem.

Audit

Audit autem, vt parcat. De tribulatione in-  
uocauì Dominum, ait, & exaudiuit me in la-  
titudine Dominus. Non tanta nobis cura est, in-  
quit S. Chrysoſtomus, nihil graue pati, quan-  
ta illi, qui nobis animam donauit, & tot, poſt  
hoc, contulit bona. Ac rurfus alibi, **IESVM**  
in tribulatione, ſine vlla intermiſſione, obſecra,  
vt vel ſolum annuat, & omnia unico momento  
dilabentur. Quod ſi obſecraſti, nec tamen de-  
pulſum eſt malum, id Deo familiare & vſita-  
tum ſcias, vt non ſtatim acerbitates extinguat,  
ſed cum hæ intumuerint, inde quidem repente  
omnia in tranquillum mutet. Itaque in Caſum  
noſ finit venire, vt oremus; verùm non ſem-  
per ſtatim liberat, vt fortiùs oremus. Sed  
ais, An non prohibere poterat, ne tres pueri in  
tentationem laberentur? Verùm id minimè fa-  
cere voluit, vt ingentem illis quaſtum concilia-  
ret; & propterea in barbarorum manus cadere  
paſſus eſt, & fornacem nimium accendi, & re-  
giam iracundiam, fornace atrociùs, inflam-  
mari, & eos manibus ac pedibus vinciri, & in  
ignem præcipites dari. Cum autem omnes, qui  
eos ſpectabant eorum ſalutem, pro deplorata  
habuiſſent; tum præter ſpem & ſubitò ſe exeruit  
preſtantiſſimi artificis Dei, in edendis miracu-  
lis, facultas. Siquidem ignis vincebatur: qui  
L autem

Pſal. 117<sup>o</sup>

5<sup>o</sup>

S. Chry-

ſoſt. ho-

mil. 2. ad

pop.

Idem

epiſt. 1.

Idem

ibid.

autem, vincti erant, soluebantur; & fornax  
 in temperiem, & in rorem mutabatur; aula re-  
 gia magnificentior, & augustior reddebatur, &  
 naturam illam edacissimam lapides & ferrum  
 superantem, crinium natura vincebat; & san-  
 ctorum illorum chorus modulatissimus, utrasq;  
 res conditas, ad mirificum hunc concentum in-  
 uuitans, & hymnos, ad grati animi significatio-  
 nem, ad Deum trans mittebant, quod videlicet  
 vinculis constricti, quod in fornacem missi, quod  
 patrijs sedibus exturbati, quod captiui adducti,  
 quod libertate spoliati fuissent. nam hoc probi &  
 grati animi est. Postquam autem hostium im-  
 probitas, partibus omnibus absoluta fuit, & pu-  
 gillum virtus expleta, & corona eorum contex-  
 ta; nec iam ad gloriam, & nominis splendorem  
 quidquam restabat; tunc mala depelluntur, &  
 qui fornacem accenderat, & eos grani supplicio  
 addixerat, idē sanctos illos pugiles miris laudibus  
 effert, & miraculum à Deo editum predicat,  
 & literas ingenti laude confertas quoquo genti-  
 um mittit, ea, quæ acciderant, commemorans,  
 idoneum testem & fide dignum diuinorum mi-  
 raculorum se præbens. Hostis enim cum esset,  
 apud hostes etiā ab omni suspicione remota erant,  
 quæ ab eo scribebantur. Vidisti Dei sapientiam  
 Hæc S. Pater.

§. XIV.

*Trium puerorum Fortuna authorem Deum agnoscentium generosa patientia, & fructus.*

Ex quo facto intelligimus, tres pueros, **Sapientia**  
*tanquam aurum in fornace probatos, liberari* 3. 6.  
sanè potuisse, ne in fornacem proijcerentur, sed illis ipsis magis profuisse, vt eorum innocentiam, diuinæ potentiae miraculo ignis illustraret. Quod sanè factum non fuisset, nisi credidissent, esse, qui & permittere talia soleret, & eripere, quos vellet, posset. **Dan. 3.**  
*Ecce, aiunt, Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & 17.*  
*de manibus tuis, ô rex, liberare. Quasi dicerent, eiusdem est, mortificare, & viuificare, 1. Reg. 20.*  
*deducere ad inferos, & reducere. Quod autem, non Casui, non Fortuna, non Fato suo Dan. 3.*  
eam tam lugubrem scenam ascripserint, sed 26.  
Deo, ad quem oratione sua confugerunt, audi Azariam, in medijs flammaram incendijs, orantem: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in secula: quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & uniuersa opera tua vera, & via tua recta, & omnia iudicia tua vera. Quæ fecisti nobis, ait. Deum ergo fecisse dicit: &*  
L 2 rectè

rectè, & iustè fecisse agnoscit; hinc non tantùm nullæ querelæ extiterunt; sed ad orationem ventum est; immo & ad laudes & ad gratiarum actionem. Qui enim cognitum habent, nihil sine Deo, contingere, omniâque, quæ à Deo veniunt, recta esse, Deum in rebus omnibus laudant. Hinc illud Psal. 118. est Dauidis: *Eructabunt labia mea hymnum: cum docueris me iustificationes tuas.* Quare, quisquis Casus aduersos, *Iustificationes Dei* esse credit, non solùm non fit impatiens, sed etiam orationibus, & hymnis gratias agendas arbitratur, atque inter ipsos fluctus, inter leones, inter ignes; in mari, in cæto, in lacu, in fornace accensa, cantat.

## CAPUT VIII.

*Casuum à Deo immissorum complures utilitates spirituales.*

## §. I.

*Alia paterni amoris signa esse in filiis seculi alia in filiis Dei.*

2. Reg.  
16. 10.



2. R g. 16.  
10.

I, Domino maledicorum linguis, aut calumnijs impiorum vso, serui prohi vox est: *Quis est, qui audet at dicere, quare sic fecerit?* quantò magis filius excipiet læta mente, quod à patre a-

man-

mante proficiscitur? Et, vt excipiat, scire debet, hoc ipsum esse signum, quo agnosce- re potest, se esse vnum de numero filiorum, non si eum extollat, non si in folio collocet, non si ex eo Sardanapalum faciat; sed si in dura, & labores arduos eum mittat. Apud Poëtas, Phaëthon Solem sic alloquitur:

*Phæbe pater, si das usum mihi nominis huius:*

*Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat:*

*Pignora da genitor, per qua tua vera propago*

*Credar, & hunc animis errorē detrahe nostris.*

Ouid.  
lib. 2.  
Metam.

Annuit pater. at quid stolidus iuuenis, in signum petijt, vt filius esse Solis agnosce- tur? *currus petit ille paternos,*

*Inq, diem, alipedum ius & moderamen equorū.*

*Penituit iurasse patrem,*

Siquidem exitium suum petierat filius; neq; enim ad mortalem pertinebat, quod petie- rat. Nemo est, qui non optaret scire, num filius Dei, & Christi cohæres sit? Stulti pro signo habent, si curru aurato, si sceptris, si coronis, si dignitatibus possint fulgere. At regnum Christi *non est de hoc mundo;* & a- ctum esset de pauperibus, si nemo Dei filius esset, nisi diues, nisi splendidus, nisi opu- lentus. Igitur aliud signum est, quod vel ex ipso naturali Dei Filio Christo potest cog- nosci

Matth.  
24. 30.

nosci. Neque enim est seruus supra Domi-  
num, aut Filio naturali Dei, filius adopti-  
uus debet velle delicatius tractari. *Signum*  
*Filiy hominis & Filij Dei ipse Dei Filius cruce-*  
*cem nuncupauit.*

## §. II.

*Deum filios suos flagellis probare.*

Apoc. 2.  
8.

Tempore Ioannis Euangelistę, Episcopus  
Smyrnensis, vir magnę Sanctitatis graui-  
bus procellis quatiebatur. Vocauit igitur  
Ioannem Christus & dixit: *Angelo Smyrna*  
*Ecclesie scribe: Hęc dicit primus & nouissimus,*  
*qui fuit mortuus & viuit. Scio tribulationem*  
*tuam, & paupertatem tuã, sed diues es, &c:*  
*cur? quia si fueris fidelis usq; ad mortem, dabo*  
*tibi coronam vite.* Spe ergo diues erat, quia  
futurus Christi cohæres. Sed ecce, quo mo-  
do ad hanc eum spem inducit: nõ se regem  
regum appellat, sed eum, *qui fuit mortuus*  
*& viuit*, quasi diceret: ego, quamuis Filius  
Dei verus, tamen morte crucis acerbissimę  
& ignominiã plenã damnatus fui: vnde in-  
telligere potes, pati grauia, non esse à Fi-  
lij Dei alienum. Et quid mirum, si Chri-  
stianum esse dicimus, quod veteres etiam  
Spartanũ esse crediderunt? Spartani enim  
vt filios suos probarent, innocentes ad at-  
addu

adductos iubebant flagellis, ad sanguinem  
 vsque cædi; probatior habebatur, qui in-  
 ter plura verbera, non genuisset. Probat  
 ad hunc modum etiam Deus filios suos.  
 Probatiores sunt, qui sunt ad flagella para-  
 tiores. *Obliti estis*, inquit, Apostolus con-  
 solationis, *que vobis tanquam filijs loquitur*  
*dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Do-*  
*mini* (hoc est labores & tribulationes, qui-  
 bus nos erudit) *neq; fatigeris, dum ab eo cor-*  
*riperis, quem enim diligit Dominus, castigat;*  
*flagellat autem omnem filium, quem recipit.*  
 Ita ipsi Apostolo contigit, qui idcirco *vas*  
*electionis* est dictus: caussa mox additur: *E-*  
*go enim ostendam illi, quanta oporteat eum, pro*  
*nomine meo, pati.* Ita contigit & Tobia,  
 cui dictum est: *Quia acceptus fueras Deo, ne-*  
*cesse fuit, ut tentatio probaret te.* Si necesse  
 fuit, quàm meritò timere possunt, quos  
 tentatio non probat, se Deo acceptos non  
 esse? Filios suos solet Deus cruce ac tenta-  
 tione insignire, cruce probare, velut Ly-  
 dio lapide; cruce tanquam quadriga ad cæ-  
 lum promouere.

## §. III.

*Fortium & magnarum mentium est fortia*

*& magna pati.*

L 4

Quan-

Hebr. 12.

5.

Prou. 3.

11.

Actor. 9.

11.

Tob. 12.

13.



Conradus in  
vita S.  
Elisabethæ.

Quantâ curâ filij laborant, vt patris nomen ac jura retineant? quàm solliciti sunt, vt in parentis gratia permaneant? Permanent autem in Numinis gratia, & filiorum jura conseruant, quicunq; conseruant patientiam, in *casibus* à Deo missis. Elisabeth illa regio sanguine oriunda, & Thuringiæ Principis connubio nobilis, defuncto coniuge, vidua facta, mox cæpit etiam pati cruces viduarum; quas vexare pronum est hominibus, exercere autem in virtutem, Deo placet. Propinquis igitur defuncti Tetrarchiam per vim occupantibus, regij animi vidua, vnâ cum paruulis liberis, è ditione sua eiecta, inops, egens, vaga, ærumnis omnibus obruta, quæ coronis erat calamitatû, ab ijs quoque, in quos priùs beneficia cumulauerat, contempta, ita omnia constanti animo pertulit, ita sinum infortuniis pandit, vt ne subducere quidem se vellet miserijs declinandis. Inuitabatur enim ad parentem Pannoniæ regem, asylum utiq; excellens. Sed redire illuc detrectabat, ne patientiæ atque humilitatis, quas in miserijs inuenerat, occasionem, inter regales delicias, amitteret. Habebat enim, tanquam Dei filia, diuinum patiendi characterem,

rem, thesauris omnibus chariorem. Quid hanc fortitudinem, in heroide Christiana, miremur? *Attalus Stoicus dicere solebat: Senee. lib. 1. ep. 67.* *Malo me fortuna in castris suis, quam in delictis habeat. torqueor, sed fortiter: bene est. occidior, sed fortiter: bene est. Audi Epicurum, dicet: Et dulce est. Vxor, sed inuictus. Quid ni optabile sit, non quod urit me ignis, sed quod non vincit. Nihil est virtute præstantius, nihil pulchrius: & bonum est, & optabile, quidquid ex huius geritur imperio. Sic ex hominibus heroës, sic semidei, sic dij efficiuntur. Denique sic Deus nos prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui; ideòq; & nos per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemta. Atque hoc alterum erat, quod, contra Fortunæ ictus, remedium numeravimus.*

## §. IV.

*Præstare, filium doloris esse in hac, quam in altera vita.*

Sequitur tertium, paruo malo, grande, immo æternum malum redimi, Quis Fortune casus potest tam esse acerbus, quam gehennæ cruciatus? quæ confusio huius vitæ non

tæ non debet contemni, præ confusione, quæ, coram toto Mundo, in extremo iudicio, atque postea, sine fine, erit in Inferno? Sæpe autem Deus hîc cruciat, vt in æternum parcat. Itaque tribulatio & dolor non tantùm est, in electis, character & signum, eos esse filios Dei, sed etiam, esse electos. Vtriusque simul figuram habemus in diuinis historijs. Rachel enim vltimum charissimùmque filium *Benoni*, hoc est, *filium doloris* (sicut Isaias Christum, *virum dolorum, & scientem infirmitatem*.) Iacob autem eundem *Beniamin*, hoc est, *filium dextra* nominauit. Quid est hoc aliud, quàm filios Dei, qui persecutionem patiuntur, esse nõ tantùm *Benoni*, seu *filios doloris*, sed etiam *Beniamin*, *filiosq; dextrae*, qui scilicet in illâ dexterâ collocabuntur, vbi agni, non hædi, iudicante Domino, statuentur?

## §. V.

*Hydropici senis, intercute aqua, quàm in æternis ignibus cruciari præoptantis.*

*Prat. Spirit. cap. 8.* In Turrium cœnobio, canitie veneranda senex adeò seuerè vixerat, vt in multa corporis incommoda caderet. Inter quæ fuit etiam hydrops. Veniebant ergo ad illum, è diuersis locis, qui eum consolarentur,

tur, rogaréntq; , vt , in ista præsertim æta-  
te atque in inualetudine , non nihil de tam  
austera viuendi consuetudine remitteret :  
nam & frondem medio die , cum æstus ex-  
ficcat , arboratores non cædere. His ille  
aliud nihil respondebat ; quàm vt diceret :  
*Orate , pro me , Patres , ne interior homo hy-*  
*dropicus fiat. Ego enim , vt in hac infirmitate*  
*diutiùs durem , Deum oro.* Hunc ergo eun-  
dem Abbatem , cum audiuisset Hierosoly-  
mitanus Archiepiscopus Eustochius adeò  
vehementer morbo afflictum , constituit ei  
suppeditare quidquid vel medicorum ars,  
vel imbecillitas corporis exigeret. Myro-  
genes autem ( hoc enim seni nomen erat )  
omnia repudiauit , hoc solùm ab Archiepi-  
scopo petens : *Ora pro me , Pater , vt liberer*  
*ab aeterno cruciatu.* Maluit nimirum hydro-  
picus , in aquis , quod deliquisset eluere ,  
quàm exurendum in æternos ignes reserua-  
re. Scilicet , *dum iudicamur , à Domino cor-*  
*ripimur , vt non cum hoc Mundo damnemur.*  
Quod qui prospectum habet , bene fert in-  
festos casus , neque vllum *Fortunæ* crimen  
accusat ; sed etiam vltro optat & inui-  
tat , in hac vita , miser esse , ne  
sit in altera.

1. Cor. II.  
32.

§. VI.

## §. VI.

*Optabilius esse, ut in hac vita secemur, & uramur, quam in altera, exemplo sancti senis, & minimè sancti epulonis.*

Histor.  
Tripart.  
l. 8. c. 1.

Circa Mareotem degebat Stephanus; integra continentia Monachus, ad sexaginta annos, in omni virtutum palæstra exercitatissimus, Antonio quoq; Magno de præstanti pietate notus. Erant in eo multa singularē laudem merentia. Fuit enim ille vir, non solùm ex optimo more, & sanctissima disciplina, sed etiam cum foris clarus, tum domi admirandus, neq; rebus externis magis laudandus, quàm facinoribus domesticis. Foris inter asperos mansuetus, inter ignorantes sapiens, alloquio suavis, sermone utilis; mirè callens ærumnosorum animos consolari, atque in ipso luctu, excitare ad alacritatem. Sed domi ipse haud indiligentiùs exercebat, quod foris alios docuerat. Tantus erat amator crucis, ut, si ipsa bona *Fortuna* venisset, non intromisisset. Ergo habuit, quod petijt. Nam in morbum iniectus est, eúmque prorsus incurabilē. Quem tamen adeò non curabat, ut, dum medici membra eius putrescentia secarent, ille (quasi de alieno corio ageretur, neq; crucia-

ciatus ad se pertineret ) manibus opus face-  
ret , ac folia palmarum plecteret : cùmque  
morbus in summo incremento esset , etiam  
circumstantibus conabatur persuadere , vt  
de eiusmodi rebus non dolerent , neq; a-  
liud solliciti , nisi de bono vitæ fine , cogita-  
rent. *Deus* , inquebat , *quæ fecit , cuncta uti-*  
*lia sunt. Ego autem novi , huiusmodi morbos ,*  
*propter peccata , accidere. Et melius est , hîc*  
*pœnas solvere , quàm , post mortem perpetua*  
*supplicia sustinere.* Eiusdem sententiæ fuit S. *S. Chry-*  
*Chrysofomus* , qui ita loquitur : *Magnum* *soft. ho-*  
*bonum est , luere peccata , in hac vita , Etenim* *mil. 6.*  
*dines ille , nihil graue hîc recepit , & propterea* *ad pop.*  
*illic torquebatur , & quòd hoc esset in caussa ,*  
*ne vlla ibi frueretur consolatione. Audi , quid*  
*dicat Abraham : Fili , recepisti bona , in vita tua ,*  
*itaq; nunc dolorem patere. Quòd autem La-*  
*zaro bona data sint , quia hîc , cum virtute , in-*  
*finitas passus molestias fuerit , Patriarcham &*  
*hoc dicentem audi. Cum enim dixisset diniti :*  
*Recepisti bona , intulit : & Lazarus mala , &*  
*propterea consolatur.* Terribilis sententia , &  
quæ meritò suspectam faciat omnem Mun-  
di prosperitatem. Tamen enim caussa dam-  
nationis non sit , omnis vitæ huius delecta-  
tio , sed peccata , signum tamen est futuræ  
dam

damnationis, seculi istius prosperitas: Si quidem *non iudicat Deus bis in idipsum*. Quos ergo, hîc, remunerat, alibi punit; & quos hîc punit, ijs alibi præmia largitur. Nemo enim adeò malus est, vt non faciat aliquid subinde boni, ob quod à Deo mercedem accipit; nemo adeò bonus, vt non aliquando admittat peccatum veniale saltem. *Recepit* ergo infeliciter epulo in hac vita; fortunatè Lazarus in altera, quidquid vterq; boni vnquam gessit: *recepit* Lazarus in hac, Epulo in altera, quidquid mali admittit. Vtrius fuit optabilior conditio? Optimè hanc quæstionem decîdit D. Augustinus in illa verba. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinventiones eorum*, ait enim: *Non solùm donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Videte, fratres, quid hîc commendauit, aduertite. Illi Deus irascitur, quem peccantẽ non flagellat. Nam cui verè propitiùs est, non solùm donat peccata, ne noceant ad futurũ seculum, sed etiam castigat, ne peccare delectet.*

S. Augustinus in Psal. 98. 8.

## §. VII.

*Ærumnosis Fortuna Casibus hominum insolentiam refranari, & excitari indolem: & Catharina Aragonie, de Fortuna iudiciũ.*

Atque inde se exerit quartum mala Fortuna

tunb

*tunc* remedium, vt sciamus, Deum, instar  
 aurigæ equum exorbitantem scuticæ habe-  
 nis, in via retinentis, homines in officio con-  
 tinere, Fortunæ flagellis: Quem alium in  
 finem Deus minatur præuaricatoribus fa-  
 mem aliâque mala dicens: *Cauete, ne fortè*  
*decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino,* Deut. ix.  
*seruiatisq; dijs alienis & adoretis eos; iratus-* 16.  
*que Dominus claudat, celum, & pluuia de-*  
*scendant, nec terra det germen suum, pe-*  
*reatisq; velociter de terra optima, quam Domi-*  
*nus daturus est vobis.* Testis huius remedij est  
 Catharina Aragonia, quæ ab Henrico VIII.  
 Anglorum rege, vt Annæ Bolenæ pellici lo-  
 cus daretur, indignissimis modis repudiata,  
 insigniter ostendit, *probitatem, industriam,*  
*ceterasque bonas artes, neq; dare, neq; eripere*  
*cuiquam fortunam posse.* Quippe incredibili  
 constantia animi, inconstantiam *Fortuna,*  
 casumque acerbissimum tulit. Tantæ pati-  
 entix radix fuit, quòd sciret, Deum eiusce-  
 modi ærumnis, tanquam fræno vti, quo  
 homines reguntur. *Solebat enim sæpissime*  
*apud suos, dicere, Fortunam se, nec asperri-*  
*mam, nec leuissimam, si daretur optio, electu-*  
*ram; cum utraq; suas tentationes ac pericula*  
*habeat, sed mediam potiùs temperatam.* Si ta-  
 men

Nicol.  
 Sande-  
 rus l. i. de  
 Schisma-  
 te Angli-  
 cano. &  
 Surius  
 Anno  
 1535.



men alterutra eligenda esset, malle se tristissimam, quam blandissimam: infelicibus enim rarò deesse consolationem, fortunatissimis ferè semper mentem. Huic heroidi optionem non dedit Deus, sed *Fortunam* dedit planè tristissimam; vnà tamen & hanc ipsam consolationem impertiuit, vt nosset infelicibus non deesse consolationem, illà scilicet, quia nòrunt, à Deo profecta aduersa in magnas vtilitates. Itaque oblatam vtramuis fortunam iuxtà suscipere discat, qui animo esse tranquillo cupit. Aliud enim est animus tranquillus, aliud tranquilla *Fortuna*. Ille in tuto est; hæc, cum blanditur, tunc vel maximè metuenda est. Quod vel Demetrius vidit, qui vitam securam, & sine vllis *Fortune* incursionibus mare mortuum vocat. Nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione & incursum firmitatem animi tui tentes: sed in ocio incusso iacere, non est tranquillitas, malacia est. Ferrum diu intactum, rubigine operitur & fœdatur; si lima, & ignis accedat, ita repurgatum splendet, vt fulgore argentum imitetur. In ferro hominem vides, quem expolit, quod mordet; purgat, quod vrit; & plerumque, si illi benè est, ille bonus non est.

Senec.  
lib. 1. ep.  
67.

§. VIII.

## §. VIII.

*Cum Fortune bonis, auferri occasionem peccandi: & S. Edildi idæ aliorumq; per ulcera, & vulnera, ad veram salutem euntium exempla.*

Sicut enim lasciuiam amant atq; superbiam res secundæ, ita aduersæ animum erigunt, dum corrigunt. Quod erat è remedijs quintum. Itaq; sæpe opes, sæpe liberi, sæpe officium ab aliquo auferitur, vt occasio peccandi auferatur, emendeturq; is, qui diuitiarum cupiditate, aut amore liberorum, aut officij necessitate peccauit. Sic mensa nummulariorum euertitur, vt Domitii subrogetur: ara deicitur, vt erigantur altaria, ait S. Ambrosius. Atq; hoc non aliqua succinctus manu diuitijsq; faciebat (Christus) sed flagello de restibus cadebat turbas, & resistere nullus audebat. Et nunc virga utitur, nunc flagello. Virga enim recta est, virga regni tui. Virga, vt corrigat: flagello, vt suadeat. Directa illic, hic moralis, quasi inflexa præceptio, qua peccatoris conscientia velut lento verbere flagellatur. Alij sunt enim terrores Prophetici, Apostolica suasiones, in utroq; tamē vnus est verbi disciplina. Et ideò flagellum de restibus fecit, quia funes ceciderunt, inquit, mihi in præclaris:

M etenim

S. Ambr.  
lib. 9. su-  
per Luc.

Beda lib.  
4. c. 7.  
Eccles.  
histor.  
gent. An-  
glor.

etenim hereditas mea preclara est mihi. Qui æger est, sanitatis causa, libenter sustinet medici sectionem: insanit peccator, si virgam odit; si se subducit flagello, quo reducit ad animæ integritatem. Refert Beda S. Edildridam Annæ regis orientalium Anglorum filiam, ac regis Ecgfridi coniugem, feminam, in paucis, vnam, adeò Christo sponso addictam, vt cum coniuge, toto matrimonij tempore, illibata virginitatis integritate, permanserit. Et, quia *omnes, cum secunda res sunt maxima, tum maxime meditari secum oportet, quo pacto aduersam fortunam ferant*, habuit hæc sapientissima virgo cognitissimum, omnia, quæ ægrè facere hominibus possunt, à Deo sciri, neq; sine causa permitti. Itaque, vt & illa Numinis amantis acciperet characterem, sub vitæ finem, tumore fœdo, sub maxilla se colligente, diriter cruciata est. Eum cruciatum tolerauit non solum patienter, sed etiam hilariter: adeò, vt animus illius corporis dolore delectaretur. Solebat autem dicere: *Scio certissimè, quia meritò in collo pondus languoris porto, in quo iuenculam memini me superna-ua monilium pondera portare, & credo, quòd ideò me superna pietas dolore colli voluit grauari, vt*

ri, ut sic absoluat à reatu supernacua lenitatis; dum mihi nunc, pro auro & margaritis, de collo, rubor tumoris ardorq; prominet. Alios igitur morbi cohibent, ne peccent; alios è bonis meliores efficiunt. Hoc est illud, *compelle intrare*. Non poterat Absalom impetrare, ut Ioab ad se veniret; idcirco dixit servis suis: *scitis agrum Ioab, iuxta agrum meum habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni, surrexitq; Ioab & venit ad Absalom in domum eius*. Ita multi ad Dominum vocati non venirent, nisi eis infortunium immitteret. *Imple facies eorum ignominia, & quarent nomen tuum, Domine*. Quam multum demum resipiscunt, cum vident manifestè, sibi omnia infeliciter cedere? Nemo maledictionem Dei citius vitat, quam qui non ignorat. Ne ignoret igitur, sentit. Innumera docent exempla, naturam plerumque à *Fortuna bona* peiorem, à *mala* fieri meliorem. Certè ipse Alexander ictus sapuit; nam sagitta percussus dixit: *Omnes iurant, me Iouis filium esse, sed vulnus hoc, me hominè esse clamat*. Sic multi sanantur, quando vulnerantur. Quid enim aliud Chirurgus facit, cum sanguinem mittit? *Sana a-*

Luc. 14.

23.

2. Reg.

14. 30.

Psal. 82.

7.

M 2

nimam

*mam meam* ait ille. Ergo medicum imitatur Deus; percutit & sanat. Hoc virga illa Moysis significauit; vt, ad terram sanctam, Israëlitas Moyses virgâ; ita Deus tribulatione homines ad cælum ducit, & reducit. Ducit, ne errent; reducit, si errauerunt. Tantum in virga, tantum in castigatione virtutis & momenti continetur.

## §. IX.

*Virtutum cos aduersitas. Itemq; Fortune viatores, esse Struthioni ferrum digerenti similes, & animalibus in mari degentibus.*

Ex his etiam, quod sexto loco enumerauimus, apparet: scilicet virtutes aduersis exerceri; neque enim patientia duntaxat, & fortitudo, & longanimitas; sed etiam spes, sed contemptus rerum humanarum, sed fidelitas & fides; sed charitas erga parentes & patriam, denique tota virtutum familia inuenit ibi causam triumphandi. *Cum aliquis tormenta fortiter patitur, ait Philo- sophus ille, omnibus virtutibus utitur fortasse, cum una in promptu sit, & maxime appareat patientia. Ceterum illic est fortitudo: cuius patientia, & perpesio, & tolerantia, rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum ini-*

Senec.  
epist. 67.

*pur consilium: que suadet, quod effugere non possis, quam fortissime ferre. Illic est constantia: que deici loco non potest, & propositum nulla vi extorquente dimittit. Illic est individuum ille comitatus virtutum. Quidquid honeste fit, una virtus facit, sed de consilij sententia.*

Sed Paulum potius audiamus cum Fortuna decertantem: *Maledicimur, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Aiunt struthionem ipsum ferrum posse deuorare, digerere atq; in nutrimentum sibi conuertere, quod ex magnitudine atque vigore caloris naturalis proueniat. Cui rei fidem facit, quod à regia audiui lingua narrari; cultrum scilicet ferreum, in Polonia, habitum & visum, quem cum, per imprudentiam, non nemo ludens deglutiuisset, diuq; inter viscera retinuisset; stomachi calor, ab acie, qua tenuissimus est culter, caperit consumere. Tanto diuinæ charitatis calore sunt præditi Sancti, vt, veluti spirituales struthiones, maledictionem, in benedictionem, persecutiones in patientiam, blasphemias in orationes nôrint conuertere. Sic digerunt omnia durissima; sic crudissima omnia concoquunt. Sic atterunt catenas. Sic*

1. Cor. 4  
12.

M 3

reci-

recipiunt ferrum. Sic de *Fortuna* triumphant, immo sic triumphant *Fortunam*. Exiguum ignem, exigua aqua extinguit; grande incendium, si ei totas amphoras affuderis, non opprimes, sed ales; quia ipsa aqua in ignem conuertetur. Ita animum pusillum modica tribulatio obruet; fortem etiam magna non vincet, sed faciet fortio-  
 rem. Hinc dicitur: *Aqua multa non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Item: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et, quia clarum est, aquis significari tribulationem, iuxta illud: *intrauerunt aqua usq; ad animam meam*, sicut arca Noë augmento aquarum nō. depressa, sed semper magis in sublime exaltata est; ita omnis virtus tribulatione extollitur, fitque magis conspicua. Qui in fluctibus et atque procellis iactatur rerum aduersarum, tantò ardentius orat; tantò profundius se apud omnes demittit; tantò crebrius ad cælum suspirat; tantò se ipsum frequentius ad tolerantiam excitat; tantò cautiùs attendit, ne tribulationem tribulatione mereatur. Dicuntur animalia esse eadem se-

Cantic.

8. 7.

Rom. 8.

3.

Psal. 68.

2.

mille

militudine, figurâ, ac nomine in mari, quæ  
sunt in terris; non tamen eodem ingenio  
atque naturâ. Leo terrenus, leo marinus;  
fusterrena, sus marina; coruus terrenus,  
coruus marinus &c. Grande itaque inter  
hæc animalia reperitur discrimen. Leo ter-  
renus ferus est & crudelis, leo marinus mi-  
tis & mansuetus; sus terrena immunda, sus  
marina amans puritatis; coruus terrenus  
duræ est carnis & ad esum inutilis; coruus  
marinus tener est & palato gratus; scorpio  
& araneus terrenus venenatus est, scorpio  
& araneus marinus nequaquam; aquâ sci-  
licet, ita naturam moderante. Hoc aqua  
tribulationis idem in hominibus efficit. Da  
duos homines, felicem vnum, infelicem  
alterum; videbis illum superbum, istum mo-  
destum; illum ebriosum & voluptatibus  
deditum, hunc temperantem; illum pigrum  
& desidiosum, hunc sedulum ac laborio-  
sum. Immo pone eundem hominem; in  
prosperis rebus, *tanquam leo rugiet, quæ-  
rens, quem deuoret*; in aduersis ferociam po-  
net, & agno erit mansuetior: secundâ au-  
râ, instar suis, immundus erit ac lasciuiet;  
cælo nubilo, & ipse lachrymas dabit; læ-  
ta *Fortuna*, instar corui crocitabit, & om-



nibus conuiciabitur; *Fortuna* tristi, de omnibus bene loquetur. Denique qui Fortunatus, velut scorpio aut araneus linguæ suæ venena diffudit; is infortunio tactus, sine bile, sine dente erit. In summa, *Fortuna simul cum moribus mutatur*; dixit olim historicus; dixisset veriùs: *Mores simul cum Fortuna mutantur*: nam plerumque *bona Fortuna malos, mala bonos facit mores.*

## §. X.

*Nostra infortunia cum D. Laurentij aliorumque Martyrum cruciatibus comparata, vix umbram esse malorum.*

Sed veniamus ad septimum, & nostra incommoda, cum Martyrum, cum Christi, aut etiam cum damnatorum cruciatibus comparemus. Atque, vt è multis Martyrum millibus vel vnus fortitudinem perpendamus, quis non censeat D. Laurentium à *Fortuna* malè habitum? At innoxius, at pius Xisti minister, at fidelis Ecclesiæ thesaurarius, at prudens dispensator, at pauperum insignis amator, captus, & exquisitissimo tormentorum genere, in ferream cratem catenis immitissimè astrictus, lentoque igne, ad Perillæam immanitatem, tostus fuit? sæua hæc est *Fortuna*, immo sæuissima,

lima, si, præter gliscentes prunas subter, & præter fumantes Martyris atque liquentes artus supra cratem, nihil aspiciamus. Quòd si verò Laurentij æstum cum gehennæ incendijs æstimemus, scintilla est, ad AEtnam, gutta ad Oceanū comparata. Sin verò rursus nos nostræ Fortunæ iram, non iam ad Acheronticos lacus, sed vel ad D. Laurentij cruciatum trutinemus, vix tenuis quædam umbra erit, nec gemitu digna. Sed ipsum Christum, tota vita patientem nobis proponamus, & deprehendemus, quàm parvam ille nobis calicis sui portionem reliquerit exhauriendam.

## §. XI.

*Nullum fuisse, cui magis bonæ felicitates huius vitæ ferè omnes aduersæ fuerint, quàm Christum gentis humana reparatorem,*

*Christus Dominus, ait D. Chrysoftomus, statim, ut in lucem prodijt: ab incunabulis in exteram terram fugitiuus, ob regem persecutorem, migravit, in barbarorum scilicet regionem itinere distantem. Qua quidem ex causa ingens vis cruoris effusa est; & tenera ætas, non secus ac in prælio, concidebatur. Quid hac tragœdia crudelius? & hac ab eo perpetrabantur.*

M s

qui

S. Chry-  
soft. ep. 1.

Ioan. 8.

qui Dominum ad necem querebat. Hæc Deus afficiens, cum prohibere posset, tolerabat. Postquam autem è barbarorum regione in patriam redijt, & etate auctus est, bellum undiq; aduersus eum excitabatur. Ac cum primùm miracula edere cepit, quot calumnijs appetitus est? Alij enim Samaritanum eum, & arreptitium appellabant, his verbis: Samaritanus es tu, & dæmonium habes: alij impostorem dicentes: Hic non est à Deo, sed seducit turbas: alij prestigiatores: In Beelzebub; dicebant, eijcit dæmonia, & improborum hominum amicum eum vocabant. Deniq; aduersus eum quotidie acuebant dentens. Passionis verò tempore, vnus discipulorum eum prodidit: alij in fugam se contulerunt: alius abiurauit: cùmq; omnes fugissent, solus ipse vinctus ducebatur. Quot igitur homines, qui non ita pridem eum res miras efficientem, mortuos excitantem, leprosos purgantem, demones expellentem, panes fontis more scaturientem, ac deniq; alia miracula perpetrantem vidissent, eo tempore, offensos fuisse putas, cum eum solum abduci ac vinctum teneri conspicerent, vilibus & abiectis militibus eum cingentibus, & Indaicis sacerdotibus à tergo sequentibus, ac tumultuantibus, & hostes omnes solum eum sibi hærentem, in medio, habentem.

bentes; presentemque proditorem insolentem. Quid, cum flagris caderetur? verisimile autem est innumeram multitudinem tunc adfuisse. Erat enim festum perillustre, quod omnes congregabat, & in ciuitate metropoli, in tempore meridiano. Quot igitur mortales tunc adfuisse existimas? qui cum eum vinctum, flagris affectum, cruore stillantem, & ad praefecti tribunal, causam dicentem, nec discipulorum ququam presentem cernerent, animis essent offensi? Quid cum Pontificis seruus alapam impingeret ipsi? quid cum vapularet? quid cum ad crucem duceretur? & in cruce tolleretur? quid cum diceretur: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reaedificas illud? Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Si Filius Dei es, descende de cruce, & credimus tibi? quid cum Barabbam illi praetulerunt? hinc enim probare volebant, quod latrone quouis sceleratior esset. Ea denique de causa inter duos latrones crucifixi sunt. Sed tamen veritas non modo propterea non obscurabatur, verum etiam splendidius eluxit. Deus enim pro sua lenitate id ferebat, arcana sua sapientia omnia administrans. Et quamuis, post resurrectionem, eius discipuli rursus metu in fugam versi in summo angore versari ceperint: sic quoque

Matt. 27.

que

que res Ecclesie semper angebantur, & per miracula vigeant, & quæ minus leta principia habuerunt, incundos exitus demonstrarunt. Hæc S. Pater.

## §. XII.

*Aduersis pressos Christi exemplis roborari.*

Luc. 23.  
31.

2. Reg.  
11.

Quoties ista animo occurrunt, occurrere debet & illud: *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* si Deus Filio suo vnigenito non pepercit, cur nos non vellemus, etiam in nostro corpore, stigmata I E S V Christi portare? Vrias inuitatus, immo iussus à Dauid rege, vt in domum suam iret, & à belli labore requiesceret, respondit: *Arca Dei & Israël & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, serui Domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam hanc rem.* Hoc eodẽ argumento vtuntur, qui acerbissima, quæ Christus tulit, animo habent memoriæque infixæ. Dux meus, inquit, & Conditor totius Mundi, paruulus è patria fugere ab Herode compulsus est; & ego *Fortuna irascar, quæ me exulem fecerit? Dominus meus, pro tot miraculis ac beneficijs, tantis*

tis

tis blasphemijs est affectus, & ego infaniam, si me frater meus dicto momordit; immo si eum alius nequiter mentitur, momordisse? Redemptor meus à suo discipulo proditus est; & ego tanti faciam falsorum fratrum delationes, accusationes siue à cæci animi vindictâ prouenientes? At nocent? at nulla calumnia caret effectu? nec semper, qui iudicant, iudicant, sine affectu? dignos deiiciunt de gradu, manifestè indignos, sanguine coniunctos, vel adulatione gratiosos promouent? Etiam Iudæi Barabbam Christo præposuerunt; homicidam ei, à quo vita mortuis est restituta. A talibus iudicibus tale iudicium tulit summus iudex. Dicitur: Domino meo hæc acciderunt, & ego me illo putabo meliorem? *Non faciam hanc rem.* At homines, qui me antè suspexerant, iam contemnunt & rident? Contigit & hoc Christo, quem tantorum miraculorum patratorem, inter iniquos, deputauerunt, atq; in medio latronum, cruci affixerunt. Seruatorem imitantur, non qui risum cachinnis compensant; sed qui nôrunt tacere, dum in cælum clamant iniuriæ, quas patiuntur.

## §. XIII.

*Christianis à Saraceno Christi exemplum propositum; cuius calice considerato omne nobis absynthium dulcescit.*

**Io. Iou-  
nieus in  
vita S.  
Ludou.  
regis  
Franci.  
c. 42.**

Scribit Io. Iounieus, Principem Saracenum, belli sacri tempore, ad proceres Francos, in Aegypto, captiuos, salutatum accessisse, atque ex illis interrogasse, *Num in unum Deum crederent; qui ex Virgine natus, in cruce affixus mortuusq; esset, dieq; tertio, se in vitam reuocasset?* Quibus, ita se credere, affirmantibus, addidit: *Eos neq; fracto animo, neq; mæstos esse debere, si tantulam calamitatem subirent, eius nomine, qui extrema supplicia, pro ipsis exantlasset; eosq; nondum ad mortem usq;, pro eo, decertasse: qui si tanta fuerit potestatis, ut, triumphata morte, se ipse à sepulchro excitaret, certò in animum inducere oportere, fore, ut etiam ipsos breui calamitatibus illis eximeret.* Iocosa, an seria fuerit illa consolatio, non habeo dicere, veram fuisse probauit secuta procerum libertas. Et planè vera est hæc consolatio, iam dudum adumbrata, quando, Israëlitis, in deserto, ad bibendum, nihil aliud, quàm amarissimas habentibus aquas, Deus Moyse lignum ostendit, quod cum misisset in aquas, in dulcedo

**Exod. 15.  
23.**

cedinem versæ sunt. *Per lignum; aquas dulces fecit, præsfigurans gloriam & gratiam crucis*; ait S. Augustinus. *Poterat Deus, inquit S. Gregorius Nyssenus, solo verbo aquam potabilem facere, sed per lignum id voluit prestare, ut typum salutiferæ crucis indicaret.* Itaque lignum crucis rerum tristium amaritiam in dulcedinem nobis vertit, quando perpendimus, exiguum nobis scyphum propinari de eo & absynthio, & aceto & felle, cuius tota maria exhausit Christus: qui non sine causa dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Addidit autem, quem ego bibiturus sum, Ut communicatione laborum, cum Christo, promptiores redderemur*, ait os illud aureum. *Quod si Christum oportuit sic pati, & ita intrare in gloriam suam, nonne oportet etiam seruos illius, eadem viâ sequi? An? Domino felle saturato, mancipia, eius mulsum exigent? At Dulcia non meruit, qui non gustavit amara: &, sicut Paulus & Barnabas prædicauerunt: per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei.*

## §. XIV.

*Per aduersa. viam esse ad victoriam, coronam.*

*Atque hoc octauum est inimicæ Fortune reme-*

S. August.  
quest. 53.  
in Exod.  
S. Greg.  
Nyssen.  
lib. de  
vita Mo-  
ysis.

Matt. 20.  
22.  
S. Chry-  
lost. ho-  
mil. 68.  
in Matth.

Act. 14.  
22.



Matth. 5. II. *remedium, quod identidem Christus ipse discipulis inculcauit: Beati eritis, cum vos persecuti fuerint homines, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* In quæ verba Imperfecti operis author, ait: *Si miles periculum belli sustinet, dum sperat victoria prædam; quanto magis nos opprobria mundi non debemus timere, qui regni caelestis præmia speramus? Item: Pensate confusionem hanc terrenam cum gloria illa caelesti, & videte, si non multò lenius est, quod patimini super terram, quàm quod expectatis in*  
 Exod. 15. 27. *calo.* Hoc significabat iter Israëlitarum, qui priùs, per mare rubrum transire, quàm ad palmas, in terra Elim, peruenire, debuerunt. Palma est caelestis gloriæ symbolum:  
 Apoc. 7. *qua de caussa vidit Ioannes multitudinem beatorum innumerabilium palmas manibus gestantium. Palmæ sunt signa victoriae. Victoria sine pugna non venit: quàm etiam in sanctis præcessisse, ibidem aperuit senex vnus beatorum palmam manibus gestantium, nam ad Ioannem accedens dixit: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt? cui Ioannes: Domine mi, tu scis, & dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna,*

gna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt ante thronum. Per sanguinem igitur, aut per tribulationem, non quamcunque, sed per magnam, velut per mare quoddam Erythræum ac rubrum, itur ad palmas illas. Nisi præcesserit pugna, ait S. Cyprianus, non potest esse victoria; tunc datur vincentibus corona. Nam gubernator, in tempestate, dignoscitur. In acie miles probatur. Delicata iactatio est, cum periculum non est. Conflictatio in aduersis, probatio est veritatis. Arbor, que alta radice fundata est, ventis incumbentibus non imbuetur; & navis, que forti compage solidata est, fluctibus pulsatur, sed non frangitur.

S. Cyprian.  
an. serm.  
de mortalitate,

## §. XV.

Ad omne, cum Fortuna, certamen, à caelestibus, gloria uti olim S. Adelgundem, excitari.

Ita se fecisse testatur Apostolus dicens: 2. Tim. 4. 7.  
Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruavi, nempe in carceribus, in flagris multis, in mortibus frequenter. Cur ita? quia in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius. Siquidem omnes, qui piè vo-

N lunt

2. Timo-  
th.  
3. 12.  
1. Cor. 4.  
17.

lunt vivere in Christo IESU, persecutionem patientur. Quibus solatiū ingens affert idem Paulus his verbis: *Quod momentaneum est, & leue tribulationis nostra, in sublimitate, æternum gloria pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, qua videntur, sed qua non videntur. Leuem tribulationem vocat, non in se ac natura sua, sed comparatione futurorum præmiorum. Sicut enim mercator non sentit navigationis laborem, lucrorum spe relectus; & pugil generosè fert corporis vulnera, coronam respiciens: ita & nos caelestia intendentes bona, quaecumq; inferantur grania, generosè feremus, bona futurorum spe roborati.*

S. Chri-  
soft. hom.  
16. ad  
pop.

Hacbal-  
dus Elnonensis in  
vita eius,  
apud Sur.  
30. Janu-  
ar.

Eccl. 7. 8.

*Legimus de S. Adelgunde, eam ita Deo charam fuisse, vt, missis de cælo Angelis, ad tristitia quæque, animo forti, lætòque, patientia, illam firmaret. Inter grauissima, qua robustam etiam virtutem quatiunt, est calumnia. Ea enim, vt in diuinis est, etiam conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius. Igitur & Adelgundis audierat aliquando, nomen suum, à peruersis hominibus & inertio otio deditis, maledictis proscindi, & apud alios, cum non medioeri quorundam offensione, iniustè traduci. Vnde illa, quæ est humane fragilitatis conditio, aliquantulū cruciari*

ciari capit. Cui mox, in medijs fluctibus, Angelus adfuit, & suauibus eam verbis demulcens: Quid, inquit, ô virgo dulcissima, maleuolorum hominum inuidia te conturbat, cum tibi celestis regni gloria; illis verò, nisi resipiscant, æternum gehenna supplicium paratum sit? Talibus illa recreata sermonibus, nihili deinceps obloquentium vanitates faciendas putauit:

## §. XVI.

Spei causam, & velut celestem arrham esse, aduersis rerū undis immersabilem fieri.

Eam ferit ærumnarum copiam *Fortuna*, vt finis alterius mali, gradus sit futuri; immo vt læta omnia rarò, sine infelicitate aliqua, eueniant. His terra scatet. Vt ergo à cælo remedium petamus, vbi erit finis ærumnarum, & miseria in æternam felicitatem mutabitur, natura

*Os homini sublime dedit, calūmq; tueri,*

*Insit & erectos ad sidera tollere vultus.*

Quid. in  
Metam.

Lactant.  
lib. de O-  
pific. Dei  
cap. 8.

Cum enim statuisset Deus, ex omnibus animalibus, solum hominem facere celestem, cetera vniuersa terrena; hunc ad celi contemplationem rigidum erexit, bipedemq; constituit; scilicet vt eadem spectaret, vnde illi origo est; illa verò depressit ad terram; vt, quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humū pro-

iecta, ventri pabulòꝝ seruirent. Hominis itaque solius ratio est, & sublimis status, & vultus Deo Patri communis, ac proximus, originem suam fictorémq; testatur. Habet ergo cy-nosuram, ad quam, in omni negotio, respiciat, actionésque suas dirigat. Si hîc laborat, ibi quiescet; si hîc flens mittit semina sua, ibi cum gaudio metet, quod seminavit: si hîc premitur, ibi coronabitur; si hîc Fortunam contemnit, ibi verè fiet non iam fortunatus, sed beatus. Eant sanniones, ac cichonnes, & cachinnis excipiant vexatos; sint illis in derisum & similitudinem improperij innocentes, vitam illorum, æstiment insaniam, & finem illorum sine honore. Veniet tempus, quo palinodiam canent, & seipso fatebuntur insaniuisse. Cum agricola semina, multum cū labore collecta seminauerit, inquit S. Chryso-stomus, si adsit aliquis agricultura ignarus, omnia, quæ sunt, cernens admirabitur, & fortè dicet: Quid hic homo tandem facit? Collecta dissipat, nec dissipat tantum, sed & terram cum multa cura commiscet, ne facile colligi possint: nec commiscet tantum terram, sed & optat vehementem fieri pluuiam, ut proiecta marcescant, & lutum fiat. Qui etiam turbabitur, cernens fulmina & corruscationes deferræ.

Sap. 5.

S. Chry-  
sost. ho-  
mil. 3. ad  
pop.

agricola verò, non ita, sed letabitur tempestatem cernens: non enim presentia respicit, sed futura expectat: non respicit ad fulmina, sed manipulos computat: non marcescentia semina, sed vernantes spicas, non grauem imbrem, sed iucundissimam aeræ ventilationem. Itidem & nos, non presentem spectemus laborem, sed orientem ex eo utilitatem, & ex eo nascentem fructum. Labor arrha est, cælum corona. Ita, teste Blofio, S: Gertrudis diuinitus intellexit, quòd, quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita aduersitas tam corporalis, quàm spiritalis humiliter propter Deum tolerata, est verissimum signum diuinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum, ut grauatius quisq; confidenter dicere possit hæc verba: **ANNULO SVO SVBARRHAVIT ME DOMINVS MEVS IESVS CHRISTVS.**

Lud. Blofius in  
Monili  
spit. c. 10.

## CAPVT IX.

*A Fortuna excacatis oculos aperiri, si velint considerare, quid futura, quid presentis ferat felicitas.*

## §. I.

*Futuram, in celo, felicitatem presenti longè anteponendam.*

N 3

PA.

**P**aradoxum videri potest, si quis dicat, neminem felice esse infeliciorem, & infelice nullum feliciorem, si Fortunam ferre nōrit: sed profectō oraculum est, iam olim à D. Augustino, his verbis prolatum: *Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua penalis nutritur impunitas; & mala voluntas, velut hostis interior, nutritur.* Quin & infelicem, in hac vita, felicem esse, haud inuiti fatebimur, si quæ huc vsq; differuimus, seridò expendere velimus, & præsentia placeat cum futuris in trutinam mittere. *Christiani non sumus, ait S. Augustinus, nisi propter futurum seculum. Nemo præsentia bona speret. Nemo sibi promittat felicitatem Mundi, quia Christianus est: sed utatur felicitate præsentis, ut potest. Quo modo potest? quando potest? cum adest, consolationi Dei gratias agat; ubiq; sit gratus, nusquam sit ingratus: & patri consolanti, & blandienti, & patri emendanti, & flagellanti, & disciplinanti gratus sit. Amat enim ille semper, siue blandiatur, siue minetur.* Sed magis amat, cui maiorem destinat felicitatem. Quæ ergo maior sit felicitas, eodem Augustino iudice, decidatur: immo ipsa vtraque felicitas decidat, dum se se ipsam, quid sit, declarat.

Nam,

S. Augu-  
stin.  
epist. 5. ad  
Marcel.  
lin.

S. Augu-  
stin. in  
Psal. 101.

Nam, licet infiniti ad finitum nulla sit proportio, atque idcirco æterna beatitudo cum huius vitæ fluxa voluptate, non secus atq; Oceanus cum riuulo, immo longè dissimiliùs comparetur; humanis tamen affectibus ita nonnullorū mentes excæcantur, vt præsentis vitæ delectatio, non solùm maior, quàm re ipsa est, sed etiam futuris æternis gaudijs anteferenda videatur: quemadmodum etiam furiosis & ebrijs omnia duplicia apparent. *Nec tantùm hoc ebrijs aut insanis accidit, sed etiam sanis ac sobrijs*, ait Lactantius. *Nam si aliquid nimis prope admoueas, duplex videbitur. Certum est enim interval- lum ac spaciũ, quo acies oculorum coit. Item si retrorsum auoces animum, quasi ad cogitan- dum & intentionem mentis relaxes; cum acies oculi utriusq; deducitur, tunc singuli videre incipiunt separatim. Si animum rursus inten- deris, aciemq; direxeris; coit in vnum, quid- quid duplex videbatur. Quid ergo mirum, si mens veneno ac potentia vini dissoluta, dirigere se non potest ad videndum, sicut nec pedes qui- dem ad ambulandum, neruis stupefcentibus dz- biles? aut si vis furoris in cerebrum sauiens, con- cordiam disiungit oculorum?* Hoc idem acci- dit illis, quos non iam Circe, sed Babylonia

Lactant.  
lib. de O-  
pific. Dei.  
cap. 9.



meretrix, suo poculo inebriat, dementat, illecebrisque ad insaniã redigit. Nimis prope admouent sensuum delectamenta; nimis inhiant voluptati: neque, animo retrorsum auocato, possunt rectè inspicere, quid Fortuna ridens secum ferat insidiarum ac miseriarum. De his dictum est: *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quasi ebrios.* Ad hos dictum est: *Expensismini ebrj, & flete, & ululate omnes, cui bibit is vinum in dulcedine.* Venite, gustate & videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Iob. 12.  
25.

Ioel. 1. 4.

Psal. 33. 9.

§. II.

*Quanta sit futura Beatorum felicitas?*

Gustum nobis præbet maioris voluptatis, D. Augustinus, vt dixi, cuius hæc sunt.

S. Augu-  
stin. lib.  
22. de Ci-  
uit. c. 30.

*Quanta erit felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid agetur, vbi, neq; vlla desidia cessabitur, neq; vlla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto cantico, vbi lego, vel audio. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Omnia membra, & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios, distributa, quoni-*

am tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, sempiterna felicitas, proficient in Dei laudibus. Omnes quippe illi, de quibus locutus sum, qui nunc latent harmonia corporalis numeri, non latebunt intrinsecus & extrinsecus, per corporis cuncta dispositi, & cum ceteris rebus, quæ ibi magis mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione succedent. Qui motus illi talium corporum sint futuri, temere desinire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus, & status, sicut ipsa species decens erit, quicunq; erit, ubi nihil, quod non decebit, erit. Certè, ubi volet spiritus, ibi erit protinus corpus: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse, nisi dignus. Vera pax ibi est, ubi nihil aduersi, nec a seipso, nec ab alio quisquam patietur. Premium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo melius, aut maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per Prophetam dixit: Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs: nisi, Ego ero, unde

unde fatientur: ego ero, quidquid ab omnibus honestè desideratur, & vita, & salus, & vitæ, & copia, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus. Ut sit Deus omnia in omnibus. Ipse finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita aeterna, communis. Ceterùm, qui futuri sunt, pro meritis pramiorum, etiam gradus honorum atq; gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quòd tamen futuri sint, non est ambigendum. Atqui etiam illa beata ciuitas magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit: sicut nunc non inuident Archangelis Angeli ceteri: tanquam nolit esse vnusquisq; quod non accepit; quamuis sit pacatissimo concordie vinculo ei, qui accepit, obstrictus; sicut nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus, cum membrum vtrumq; contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoq; donum habeat, ne velit amplius. Hæc est alterius vitæ felicitas, vel vmbra potiùs felicitatis. Nam quidquid nunc videmus, per speculum videmus & in enigmate duntaxat, si-

1. Cor. 13.  
13.

qui

quidem oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus ijs, qui diligunt illum. Ex his talibus principijs, facit hanc deductionem idem S. Pater.

Nihil nos terreat mundi infelicitas. Quia si istam infelicitatem mundanam Sancti DEI omnes timuissent, perpetuam felicitatem non haberent. Si felicitas huius mundi transitoria diligitur hic, perpetua non inuenitur. Ad perpetuam felicitatem tendamus, ubi patriam & parentes habemus, patientissime omnia huius mundi mala, pro Christi nomine, toleremus. Quid est, quod toleretur, contra illud, quod nobis promittitur? Apostolus inquit, non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur, in nobis. Nulla ergo nos terreat pressura, nulla calamitas frangat.

## §. III.

Quantilla sit Mundi huius felicitas; immo quam infelix?

Intueamur nunc etiam, quæ sit huius vitæ Fortuna, quæ felicitas? ex eiusdem Patris sententia. Primum, temporales res nemini conferunt veram felicitatem, quia non eximunt insatiabilem cupiditatem. Qui enim biberit ex hac aqua, sitiet iterum. Secundò. Nunquam debet secura esse felicitas: quia periculo-

I. Cor. 2.  
9.

S. August. de  
Salutarib. docu-  
ment.  
cap. 56.

Idem in  
Psal. 109.  
Idem lib.  
de vera  
innocet.  
c. 199.

se-

Et l. 50.  
homil.  
hom. 10.

Idem  
ferm. 26.  
in Ioan.

Idem in  
Psal. 26.

*siora sunt animo secura, quam corpori aduersa. Prius enim corrumpunt prospera, ut inueniant aduersa quem frangant. Tertiò, quia non colimus Deum, ut hinc felicitatem habeamus. Quanti illam habent, quia non colunt Deum? Ut hinc senescamus, & decrepiti efficiamur? Quanti senscunt blasphematores Dei? Nec ideo colendus est Deus, ut cultores illius habeant filios, & non sint steriles. Filios enim Deus & onagris & serpentibus dat. Non ergo pro magno & vero bono petendum est, quod & Iudais, & Paganis, & hereticis, etiam & ipsis bestiis datur. Aurum enim & argentum, & honores, & filios, & patrimonia multi habent etiam mali. Quarto quia non permittit Deus malos esse felices, sed ideo malus felix putatur: quia quid sit felicitas, ignoratur. Vnde, si idem est felicitas, quod Fortuna, ignorans fuit Lucanus, qui dixit: *Seruat multos Fortuna nocentes*. Non Fortuna illa fuit, sed infortunium. Quid ita? Quia felix vocatur quisq;, quando, quod amat, habere videtur. Verè autem felix est, non si habeat, quod amat, sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias miseri sumus, habendo miseriore. Et propitius Deus, cum malè amamus, negat, quod*

quod amamus: iratus autem dat amanti, quod male amat.

## §. IV.

Quale sit inter Fortunam & felicitatem huius vite discrimen? & utramq; magis timendam esse, quàm ipsam miseriam.

Ac, ne erremus in vocabulo, apud stolidos, idem est felicitas, quod *Fortuna*; quæ differunt plurimum, apud sapientes. Quia *Fortuna* potest esse mala; felicitas autem si mala fuerit, felicitas non erit. Dicunt Philosophi, quòd felicitas est, quam boni habent, precedentibus meritis, *Fortuna* verò est, quæ dicitur bona, sine ullo examine meritorum, fortuito accidit hominibus & bonis & malis, unde etiam *Fortuna* nominatur. Quo modo ergo bona est, quæ sine ullo iudicio venit & ad bonos & ad malos, velut caca & in quoslibet irruens? Sed demus hoc vulgo, & *Fortunam* vocemus felicitatem; videamus autem, quænam illa sit, & quàm præclara felicitas? & an non sit, præ illa verâ atq; sempiternâ meritò contemnenda? immo an non calamitas præoptanda? Siquidem ipsa, quæ in rebus humanis vocatur felicitas, plusest timenda, quàm miseria. Quandoquidem miseria plerumq; affert ex tribula-

S. Aug. l.  
4. de ci-  
uit. cap.  
18.

S. Au-  
gust. in  
Psal. 68.

S. Au-  
gust. in  
Psal. 124.

bratione fructum bonum: felicitas autem cor-  
rumpit animum peruersa securitate, & dat lo-  
cum diabolo tentatori. Sed hanc causam, se-  
cundò iam loco, attigimus. Ad quam eti-  
am pertinet, quòd homines, vt ærumnis  
moliuntur; ita prosperitate fiant duriores.  
Vnde, quem in hac quæstione iudicem ele-  
gimus, idē Augustinus iubet nos, non inten-  
dere, in homines, qui prosperantur in hoc seculo  
felicitate falsa atq; ventosa & prorsus seducto-  
ria: ubi nihil aliud nutriunt, nisi superbiam, &  
cor eorum congelascit aduersus Deum, & fit  
durum aduersus imbrem gratie ipsius, ne fru-  
ctum ferat. Presumentes enim, omnia sibi ab-  
undare, qua videntur huic vitæ necessaria, &  
ultra quam necessaria. Et cum sint homines,  
per iniquitatem, inferiores omnibus hominibus;  
per superbiam, superiores se putant omnibus ho-  
minibus. Atq; utinam, vel sicut alios homines  
se esse deputarent.

§. V.

*Fortune humana debilia fundamenta.*

Quidnam igitur est felicitas illa seducto-  
ria?, quid *Fortuna* tam bella, quæ, apud  
mortales, adeò multum valet, vt dicta sit  
*omnipotens*? In primis copia diuitiarum: de-  
inde magnitudo honoris; potentia; nomen  
illu-

Illustre & clarum; corporis robusta valetu-  
 do; & quidquid optant humana vota. Quod Pausan.  
 ad diuitias attinet, finxerunt sanè Xeno- in Boco-  
 phon Atheniensis, & Callistonicus Theba- ticis.  
 nus *Fortuna* simulachrum Plutum infantem  
 gremio gestantis. Atqui Plutum *Fortuna*  
 pluribus ostentat, quàm donat: alliciendo  
 fascinat, non locupletat. Hinc *Fortuna*,  
 apud Romanos, *Viscata* dicta, quòd homi-  
 nes eminus captet; & adeò quidem, vt *For-*  
*tuna* aureæ effigies in cubiculis Principum  
 olim poni soleret, quæ iisdem morientibus,  
 in successorum manus traderetur. Sic enim  
 de Antonino Pio moriente Iulius Capitoli-  
 nus scribit: *Tertia, die cum se granari vide-*  
*ret, M. Antonino Rempub. & filiam, presen-*  
*tibus Praefectis, commendauit, Fortunamq, au-*  
*ream, quæ in Principum cubiculo poni solebat,* Spartian.  
*transferri ad eum iussit.* Et de Seuero Spar- in Seue-  
 tianus: *Fortunam regiam, quæ comitari Prin-* ro.  
*sipes, & in cubiculis poni solebat, geminare sta-*  
*tuerat, ut sacratissimum simulachrum utriq,*  
*relinqueret filiorum: sed cum videret, se perur-*  
*geri, sub horam mortis dixisse fertur, vt alter-*  
*nis, apud filios Imperatores, in cubiculis pone-*  
*retur.* Igitur seruabatur, *fortuna aurea*, in  
 Imperatorum cubiculis, quasi regni fatum;  
 quasi



quasi Palladium quoddam, quasi Dea felicitatis: sed Dea inconstans, vaga, levis.

## §. VI.

*Fortune inconstans cecitas, & ceca inconstantia.*

Itaque, sicut illa in caelo est aeterna, ita haec diaria est felicitas, & trallaticia; quae in statua sua, aurea, re ipsa vitrea est, cum splendet, frangitur. Quod testantur complures.

**Tacitus**  
3. Annal.

Tacitus ait: *Nihil rerum mortalium tam instabile & fluxum est, quam potentia non sua vix nixa.* adeo, ut Fortunam citius reperias, quam

**Phil.**  
quod  
Deus sit  
immutabilis.

retineas. Adstipulatur Philo his verbis: *Nihil est, quod mortales tanto affectu desiderant, re ipsa nihil: sed umbra, aut aura, antequam subsistat, praetercurrens. Accedit, & recedit, Euripis, & aestibus maris similis.* Subscribit &

**Dio lib.**  
58.

Dio, quo teste, Seianus luculentam Fortune ludibrium, Fortunam Serui Tullij, quam domi superstitione habitam libationibus & sacrificijs colebat, repente vidit se auertentem, expertus postea, quod in imagine vidit prius. Sed ante omnes, graphicè Seneca, *Omnia, inquit, ista, quae vos tumidos, & supra humana elatos obliuisci cogunt nostra fragilitatis, quae ferreis claustris armati: quae ex alieno sanguine rapti vestra defenditis: propter quae clas-*

**Senec.**  
lib. 6. de  
Beneficiis,

*Seneca, Omnia, inquit, ista, quae vos tumidos, & supra humana elatos obliuisci cogunt nostra fragilitatis, quae ferreis claustris armati: quae ex alieno sanguine rapti vestra defenditis: propter quae clas-*

*ses cruentaturas maria deducitis : propter quæ  
quassatis vrbes, ignari quantum telorum in ad-  
uersos Fortuna comparet : propter quæ, ruptis  
toties affinitatis, amicitia, collegij faderibus, in-  
ter contendentes duos, terrarum orbis elisus est.*

*Non sunt vestra, in depositi caussa sunt ; iam  
iamq; ad alium dominum spectantia : aut ho-  
stilis animi successor inuadet. Sed audiamus  
iterum iudicem Augustinū, cuius hæc sunt:*

*Non nos vel filios nostros felices diuitia terrena  
faciunt : quæ nobis uiuentibus amittende sunt ;  
vel à quibus nescimus, vel fortè à quibus nolui-  
mus, possidende: Sed Deus felices facit, qui est  
vera opulentia mentium. Verè Poëta:*

*Fortuna immeritos auget honoribus.*

*Fortuna innocuos cladibus afficit.*

*Iustos illa viros pauperie grauat,*

*Indignos eadem diuitijs beat.*

§. VII.

*Quàm misera, quàmq; periculosa sit in di-  
uitijs felicitas ?*

Quænam ergo potest esse in diuitijs feli-  
citas? Acquiruntur, non sine cura ac labo-  
re, & plerumque non sine scelere; possiden-  
tur sæpius à malis, nec sine litibus & anxie-  
tate; amittuntur cum dolore. Parum hoc  
esset, nisi etiam cum illis toties amitteretur

○

feli-

S. Aug. l.  
5. de Ci-  
uit.

S. Am-  
brof. in  
tract. de  
secunda  
interpel-  
lat. Iob.

felicitas sempiterna. Atque, vt infelix hæc felicitas tantò promptiùs spernatur, docet S. Ambrosius ideò pro vera haberi felicitate eam non posse, quia si non est scelerata, saltem facit sceleratos. *Oremus hîc, inquit, potiùs laborem subire, vt in regno calorum consolationem quietis æterna mereamur adipisci. Magna enim illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum. Supinat, extollit, obliuionem authoris infundit. Considera illum diuitem in Euangelio supra ostrum & purpuram recumbentem, cuius de mensa micæ iustus ille pauper Lazarus colligebat. Nonne videtur tibi diues ille ad Dominum dicere: 'Discede à me, vias tuas scire nolo? Et verè noluit scire huius vias Domini. Si enim vellet, cognosceret. Sed quia plena sunt laboris, fugiuntur & declinantur à perditis. Quasi ebrîus itaq; non recognoscit salutis authorem. Deinde conuersus ad compotores suos: Manducemus, inquit, & bibamus: quid prodest, si seruiamus? Aut qua vilitas, si obseruemus eum? Hæc itaq; dicit secularium rerum abundantia temulentus, quia in seculo continuo scelerum merito non rependuntur. Supinabatur enim, quia in manibus ei ad voluptatem omnia suppetebant, & conscius impietatis suæ cuius pœna sequestrabatur, putabat,*

bat, quòd Deus impiorum scelera non videret. Non autem Deus, sed ipse non videbat, à cæco Pluto exoculatus.

## §. VIII.

*A Monymo diuitias abijcere discunt, qui feliciter volunt sapere.*

Monymus, authore Laërtio, erat Corinthij cuiusdam Trapezitæ seruus: qui cum Philosophiæ amore teneretur, cuperétque maximè operam dare Diogeni, neq; tamen hoc ipsum à Domino posset precibus vllis impetrare, simulatâ insaniâ, monetam cæpit spargere; eo modo dimissus, ad Philosophiam se conuertit, Diogenémque secutus est. Hunc modum tenent, qui veram sapientiam sectantur: pecunias abijciunt, omnia quæ possident, abdicant, ne vitijs irretiti à cælesti Philosophia retrahantur. Videntur quidem insanire, sed illis duntaxat, qui olim dicent: *nos insensati, vitam illorum* Sap. 5. *estimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Tales filij fuère, quotquot, paupertatem amplexi, Benedicto, Bernardo, Francisco, Ignatio, alijsq; Sanctis, nudi omnibus diuitijs, nudum Christū sequi voluerunt; paupertate atq; inopia felices; qui abundantia & opibus miseri exitissent,

## §. IX.

*Amiſſionem magnarum opum magno animo  
ferre, qui opes ipſas magni non faciunt:  
exemplo Ioannis Eleemoſynarij.*

Hebr. 10.  
34.

Surius 23.  
Ianuar.

Verùm illi quoq; facilè iacturam bonorum fuorum paſſi ſunt, qui ſe *Fortuna* bonis ipſius *Fortuna* inconstantia, immo Numini providentia aut voluntate, priuatos intellexerunt. Tales fuère, ad quos Apoſtolus ſcribit: *Rapinam bonorum veſtrorum, cum gaudio ſuſcepisti, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* Talis fuit S. Ioannes eleemoſynarius Alexandriae Epiſcopus. Tredecim Eccleſiæ Alexandriae naues oneratae, in Adriatico mari, magno naufragio, omne onus, quod erat ter mille & trecentarum librarum auri, prodegerant: ipſae inanes in Alexandriae portum redierunt. Illi igitur, quibus nauium cura concredita fuerat, è portu, ad templum confugerunt, tanquam ad ſecuritatis aſylum. Quod cum Patriarchæ relatum fuiſſet, illico Numini, propter hoc quoque, gratias egit; deinde ad nautas & naucleros miſit litteras remiſſionis, ea ſola, quæ Iob dixit, dicens: *Dominus dedit, fratres, Dominus abſtulit. Egredimini ergo, pro hoc nullum timentes peri-*

periculum. Dominus enim erit sollicitus de crastino. Cum autem multi ex ciuibus venirent ad eum consolandum, prior ipse eis dixit: Non oportet vos, o fratres, tristitia affici propter periculum nauium, cuius ipse solus sum causa. Nisi enim magnos & elatos sumissem spiritus, propter alienorum largitionem, immo verò Dei ipsius, hoc nequaquam accidisset. Volens itaq; Deus meum tumorem comprimere, permittit hanc mihi accidere calamitatem. Est enim eleemosyna saepe causa superbiae ei, qui non aduertit. Paupertas autem, sicut scriptum est, virum reddit humilem. Ego sum igitur causa duorum malorum: vnius quidem, quòd mercede eleemosynae priuatus sum, propter vanam gloriam: alterius verò, quòd propter eam procuravi amissionem tantarum pecuniarum: & nunc ad me attraho vniuersum iudicium animarum, quae rediguntur ad angustias. Sed Deus, etiamsi non propter me, sed propter curam, quam gerit eorum, qui indigent, suppeditabit ea, quae sunt ad usum necessaria. Illud enim: Non te dimittam, neq; te relinquam, ab eo dictum est. Fidelis autem est, qui promisit. Sic ij, qui venerant, ad sanctum consolandum, ipsi sunt potiùs ab illo dimissi, accepta consolatione.

## §. X.

*S. Bernardi amissionem bonorum, beneficij loco, habentis magnanimitas.*

Sic æstimat, quisquis nouit æstimare fortunas. Vt autem & nos sic discamus æstimare, & Sanctis Deus facultates subduxit, & Sancti, facultatibus subductis, Deo gratias egerunt; neque alijs, sed sibimetipsis culpam attribuerunt; immò onere se leuatos arbitrati, res ablatas, beneficij loco censuerunt. *Bernardus Ciarenallensis Abbas, cum ducenta argenti pondo sibi adimpensas construendi Monasterij missa, à grassatoribus intercepta fuisse audisset, gratias Deo egisse dicitur, quod magno se onere leuasset. Tam ergò modicè tulit, argenti amissionem, ut eo grauari se putaret, si non amisisset.* Grauantur multi, sed onus amant, quo ad Infernum deprimuntur. Ne hili facerent, si flauam terræ glebam, aut candidum metallum cum cęlesti gloria conferrent: aut illud meminissent: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere: aut istud:*

**Psal. 61.**  
**11.**

*Non est tuum, fortuna, quod fecit tuum.  
Dari bonum, quod potuit, auferri potest.*

## §. XI.

*Honoris ac dignitatum Fortune subiectarum vanitas.*

Mul-

Multò autē citiùs alterum Fortunæ bonum, Honor, & nomen bonum auferri potest. Pecunia manibus, fama linguis tollitur: ad illam rapiendam digiti debent esse præsentēs: lingua & sermo etiam absentibus nocet; immo magis sæuit in eum, qui quia non audit, non defendit. Idcirco & hîc rectè pronunciat, quem, supra, iudicem adduximus, ita enim ait: *Felicitas hominis pendere non debet ex hominum linguis. Nullus enim sapientum Philosophorum finem suarum actionum constituit in fama vulgi, aut in lingua hominum.* Prouidè ait: *nullus sapientum Philosophorum.* Nam stulti non pauci fuerunt, qui, nominis causa, omnia facerent, omnia ferrent. An non enim Empedocles, vt immortalis factus videretur, morte occultata, in craterem ardentis Aetnæ insiluit, crepidis, seu baxeis proditus, quas vis flammæ reiecit sub oculos eorum, qui amissum quæsiuerunt? Nimirum egregia sapientia est, mori, ne mortalis videaris. Numa Pompilius, vt authoritatem sibi faceret, AEgeriæ Nymphæ mendacio superbiuit. Monyma Mithridatis vxor, in desperatione rerum profligatarum, ignominia impatiens, detractum è capite diadema collo circum-

S. Augustin. epist.  
56. ad Dioscoridē.



ligavit, seq; ipsam suspendit. Cum autem corporis pondere laqueus ille diruptus esset, dixit: *Execrandum diadema, neq; in tam tristi ministerio mihi profuisti.* Moxque, cum super illud humi abiectum insputasset, Eunucho regio se se obtulit iugulandam. Quid hæc putavit, homines dicturos? fronti, non gutturi factum esse, diadema, dixerunt; longèque fortiùs acturam fuisse, si ignominiam ferre, quàm in se ipsa vindicare maluisset. At illa quoque Fortunæ exemplum fuit, in qua ostendit, vsque adeò paruum discrimen inter laqueum & diadema esse, vt hoc ipsum possit regibus, pro laqueo, seruire. Quanti autem sint facienda, dignitas, potentia, honor, *sapientes Philosophi*, immo ipsi etiam poëtæ sonantissimè docuerunt. Horum vnus ita canit.

Seneca  
in Agamemno,

*O regnorum magnis fallax  
Fortuna bonis: in præcipiti  
Dubioq; nimis excelsa locas.  
Nunquam placidam sceptrâ quietem,  
Certumne sui tenuere diem.  
Alia ex alijs cura fatigat.  
Vexatq; animos noua tempestas.  
Non sic Libycis Syrtibus æquor  
Furit alternos voluere fluctus:*

*Non*

Non Euxini turget ab imis  
 Commota vadis vnda niuali  
 Vicina polo, ubi caruleis  
 Immunis aquis lucida versat  
 Planstra Bootes, ut precipites  
 Regum casus Fortuna rotat.

Sic Seneca canens. Seneca autem Philoso- Senec.  
 phans ita loquitur: *Rectum iter, quod serò lib. epist.*  
*cognoui, & lassus errando, alijs monstro. Cla-* 8.  
*mo, vitate, quæcunq; vulgò placent, quæ Ca-*  
*sus attribuit: ad omne fortuitum bonum, suspi-*  
*ciosi pauidiq; subsistite. Et fera, & piscis, spe*  
*aliqua oblectante, decipitur. Munera ista For-*  
*tune putatis? insidia sunt. Quisquis nostrum*  
*tutam agere vitam volet, quantum plurimum*  
*potest, ista viscata beneficia deuitet. In quibus,*  
*hoc quoq; miserrimi fallimur, quòd habere nos*  
*putamus, habemur (quo sensu etiam viri di-* Psal. 78,  
*uitiarum, non diuitiæ virorum, in sacris, vo-* 6.  
*cantur) In precipitia cursus iste deducit. Hu-*  
*ius eminentis vitæ exitus, cadere est. Deinde*  
*ne resistere quidem licet, cum cepit transuersos*  
*agere felicitas. Aut rectus sta, aut semel fuge.*  
 Itaque sapienter alta vitat, qui non vult al- Senec. in  
 tè cadere: *Quidquid in altum Fortuna tulit, Aga-*  
*ruiura lenat. Hoc est Honor, hoc dignitas, memo.*  
 hoc magnum nomen mortalium, omnium

S. Chry-  
sost. hom.  
20. ad  
pop.

linguis & petulantia expositum: quod nul-  
la vnquam magna mentes magni fecerunt.  
De Constantino Magno D. Chrysofomus,  
ex oratione Flauiani hec recitauit: *Fertur be-  
atus Constantinus, effigie sua quandoq; lapidata,  
multis ipsum instigantibus ad supplicium de aucto-  
ribus contumelia sumendum, & dicentibus, quod  
omnem ipsius faciem saxis conuulnerarint: ma-  
nu facie palpans, & leniter ridens, dixisse: Sed  
sanum quidem caput, sana verò & facies tota. Illi  
verò reueriti, & confusi, ab hoc iniquo destitè-  
re consilio. Et hoc verbum haftenus canunt om-  
nes: nec tantum temporis labefecit, aut huius  
memoriam extinxit. Quot non sit hoc trophais  
splendidius? Contempsit tantus Imperator  
contumeliam, ostenditque, se non faucia-  
tum in statua sua. Idem nos cogitemus, si  
quis nomen nostrum verberat, quod aequè  
extra nos est, atque statua nostra.*

§. XII.

*Sanitatem corporis eiusmodi bonum esse, ut  
subinde ei corporis infirmitas fuerit prealata,  
ut in Egidio fuit videre, qui sagit-  
ta ictus noluit sanari.*

Propiùs nos attingit bona corporis vale-  
tudo, neque est in nostra potestate, sentire,  
vel non sentire vim dolorésque morborum.

De

De hoc argumento alibi dicturus, in pauca rem conferam. Philosophi quidem hanc salubrem vitæ formam iubent teneri, *ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Durius tamen censent tractandum, ne animo malè pereat.* Cogitant enim in se, *præter animum, nihil esse mirabile, cui magno nihil magnū est,* nisi solus Deus; *quoniam Deus magnus Dominus.* Si ergo Deus magnus voluerit, eos ægrotare; nec ipsam morbis anteponunt sanitatem. Hæc sola illis causa sufficit, Deum velle: quanquam & aliæ suppetunt. Nam, cum corpus languet, animus viget: illo patiente, virtus agit; & carnis damnum, mentis est lucrum; quæ nunquam est fortior contra voluptates, quàm cum homo ægrotat. *Cum infirmor, tunc fortior sum,* ait Apostolus. Hac de causa Platonici dicuntur philosophaturi, in vallibus ac locis paludosis & infalubribus, habitauisse, ne, in luxuriante solo, etiam animus luxurians sapientiam repudiaret. Idem corporis frænum amârunt etiam Christianè philosophantes. Egidium memorat Fulbertus Carnotensis, ad Rhodani ostia, vitam solitariam egisse, cui post longum & quotidianum precandi, vigilandi,

Psal. 94. 3.

2. Cor. 12.

M. Mar-  
tul. l. 5. c. 4.

ab=

abstinendique studium, aliud Deus cruciam-  
 mentum superaddidit. Nam cum, inter sil-  
 uas latens, Deū veneretur supplex, sagit-  
 ta, à venatoribus, in incertū missa, eum gra-  
 uiter fauciauit. Accepto vulnere, non modò  
 chirurgum aut medicinam corpori admit-  
 tere noluit, sed etiam Dominū enixè roga-  
 uit, ne quando læsa caro sanaretur. Interpre-  
 tabatur enim vulnus diuinitus inflictum,  
 vulnus amoris; quod incuratū, corporis do-  
 lore, ab animo arceret voluptatis cogitati-  
 ones.

## §. XIII.

*Sanitatem beneficium Dei esse: sed sepe maius  
 beneficium esse, iacturam sanitatis: ut in  
 in Audomaro patuit cecitatē eligente.*

Matth. 4.  
 33.

Circuibat quidem IESVS, sanans omnem  
 languorem, & omnem infirmitatem in populo.  
 Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtu-  
 lerunt ei omnes malè habentes, varijs languo-  
 ribus, & tormentis comprehensos, & qui da-  
 monia habebant, & lunaticos, & paralyticos,  
 & curauit eos: & alij quidem eum adibant,  
 alios autem ipse adibat: alij sibi, alij alijs sa-  
 nitatē impenetrabant, vtique rectè: multi  
 tamen inuenti sunt, qui morbos sanitati  
 prætulerunt; & surdi, quàm audientes,  
 cæci, quàm videntes; claudi, quàm ambu-  
 lan-

lantes esse maluerūt. Sæpe enim multò fatius est, furdum esse, quàm audire id, quod est absurdum; præstat, in oculis ferre cæcitatem, quàm vanitatem; consultius est, ad cælum claudicare, quàm talaria induere, & volare ad Infernum. Quæ & ipsa est doctrina Christi dicentis: *Si pes tuus scandalizat te, amputa illum: bonum est tibi claudum intrare in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.* Item: *si oculus tuus scandalizat te, eyce eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quod ita cum alijs multo viri præstantes, tum etiam Audomarus egregiè heroicè que sensit. Transferebatur, Attrebat, ab Auberto Episcopo corpus S. Vedasti. Aderat tunc, cum alijs, etiam Audomarus Teruanensis Episcopus, præ senio, cæcus. Hic, tum præsentium Episcoporum precibus, tum S. Vedasti meritis, recepit vsum oculorum, rem vtique alijs speratissimam. At ille longè iudicauit fecius. Etenim *agrè ferens, se liberatum esse à cecitate, quam pro salute sua sibi à Deo immissam esse gaudebat, rursus ad votum suum excacatus est.* Adeò non magni fecit hoc

Marcij.  
44.

Sigebert.  
in Chron.  
An. Dó.  
658.

cor-

corporis damnū, vt etiam in votis haberet

§. XIV.

*Cur Pigmenius sibi de cecitate sit gratulatus?  
& quam alij cecitatis suæ possint habere  
consolationem?*

Sabellic.  
lib. 5. c. 7.

Magnæ sunt vtilitates oculorum, iucunditas excellens; si tamen his hominem priuet Deus, solatio est, spes rerum longè iucundiorum, in cælo, videndarum; præterquam, quod quædam inuisa non posse videri, sit quædam voluptas. Pigmenius Romanus presbyter, vel idcirco, se oculis captum, æquo animo ferebat, ne quando illi Christianæ Ecclesiæ inimicos aspicere contingeret. Quod cum non ignoraret Iulianus Apostata Imperator, obuiam illi factus per ludibrium, & magna ioci acerbitate illi dixit: *Gratias ago Dijs, ô Pigmeni, quòd te video.* Cui ille respondit: *Gratias ago Deo meo, quòd te non video.* Tam igitur forti animo cecitatem pertulit, quàm tyrannum contempsit. Dehinc Martyrij corona donatus videre cepit, quæ oculus non vidit; & audire, quæ auris non audiuit, & intelligere, quæ in cor hominis non ascenderunt. Verùm quid mirum est, si potuit patienter ferre oculorum noctem, qui adeò fortiter mortem ipsam

psam toleravit? Animus Deo coniunctus corporis morbos non recusat, si martyria ipsa optat: quin, etiam in ipsis morbis, reperit suas utilitates, commodaque videt, in ipsa cæcitate. *Oculos perdidit*, inquit ille, cui responsum est: *Quam multis cupiditatibus via incisa est, quam multis rebus carebis, quas ne videres, erudiendi erant. Non intelligis, partem innocentia cæcitatem esse? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum, quam concupiscat, huic urbem & mala omnia. Certè oculi irritamenta sunt vitiorum, & scelerum duces. Quæ non sunt accipienda in vituperium Conditoris, cuius admirabile & preciosum op<sup>9</sup> est oculus; sed ab illis in solatium considerantur, qui infirmitate aut cæcitate oculorum capti, non cæcam Deam id fecisse queruntur; sed ab eodem benefactore vero Deo alijs agnoscunt oculos claudi, alijs aperiri. Paria possunt de alijs quoq; corporum malis cogitari, paria de omni Fortunæ plaga, cuius immortale exemplum in S. Eustachio eiusque omni familia; & recentius, in Sosa, eiusque generosa coniuge & toto comitatu, terra marique iactato, historici memorauerunt.*

Senec'  
lib. de  
remed.  
Fortunæ.



## §, XV.

*Ubi vera queri debeat felicitas?*

**Senec.**  
**lib. 1. e-**  
**pist. 21.**

Quorum omnium inconstantissima felicitas, & toties rediens calamitas palam pronunciat, non in hac vita, sed alibi querendam esse veram felicitatem. *Magna haec esse existimas, ait Philosophus, qua relicturus es: & cum proposuisti tibi illam securitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vita, à qua recessurus es, fulgor, tanquam in sordida & obscura casurum. Erras, Lucili; ex hac vita ad illam ascenditur. Quod interest inter splendorem & lucem, cum haec certam originem habeat, ac suam, ille niteat alieno: hoc inter hanc vitam & illam. Hæc quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim umbram faciet, quisquis obstiterit: illa vero suo lumine illustris est. Nequit ergo obscurari. Verè ille ipsa Fortuna cæcior est, qui splendorem luci anteponit; fugit enim lucem, ut diem vespertiliones, qui noctu in gladij fulgorem incurrunt. Fallit fulgor, lux ostendit, quod verum est bonum. Et, iudice Augustino, ideò Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut alia queratur felicitas, cuius dulcedo non fallat.*

**S. Ang.**  
**l. 2. de**  
**Verbis**  
**Dō. lerm.**  
**39.**

CA.

## CAPVT. X.

*Quenam, in Fortune casibus, è Seneca  
peti possint, contra impatientiam,  
remedia?*

## §. I.

*E quibus authoribus remedia, contra For-  
tunam, peti possint?*

**V**diuimus Augustinū docentem, quo pacto, humanæ felicitatis iactura parui æstimanda sit; quod etiam Seneca, Plutarchus, Petrarcha, Boccacius aliique complures, totis voluminibus, tradiderunt. E quibus tametsi non libet, hunc librum distendere; placet tamen bonam partem apponere, ex epistola Senecæ Liberalem consolantis, post urbem patriam eius, incendio, absumtā. Ex ea epistola hominis Ethnici, licet cognoscere, *Fortuna muneribus utendum, non fidendum; quia leuis magnas opes huc fert & illuc casus; nec homines tantum, sed totas vrbes abolet.* Licet item ex ea epistola discere, qua mentis æquitate, Christiano aduersa sint toleranda, si diuina Religionis luce destituti, cum quaterentur, tam fortiter steterunt. Apparebit etiam, miserum esse, quisquis felicitatem

tatem sperat à miseris. Denique constabit, qua ratione animus sit, contra Fortunam, muniendus, qua perinde vt quisque vtitur, ita præcellit. Sic ergo scribit Seneca:

## §. II.

*Lugdunensis incendij miseranda calamitas.*

Senec.  
lib. 1. e-  
pist. 91.

*Liberalis noster nunc tristis est, nunciato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. Mouere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patria sua amantissimum. Quæ res efficit, ut firmitatem animi sui querat, quam videlicet ad ea, quæ timere posse putabat, exercuit. Hoc verò tam inopinatum malum penè inauditum, non miror, si sine metu fuit, cum esset sine exemplo. Multas enim ciuitates incendium vexauit, nullam abstulit. nam etiam ubi hostili manu in tecta ignis missus est, multis locis deficit, & quamuis subinde excitetur, raro tamen sic cuncta depascitur, ut nihil ferri relinquat. Terrarum quoq; vix vnquam tam grauis & perniciosus fuit motus, ut tota oppida euerteret. Nunquam deniq; tam infestum vlli exarsit incendium, ut nihil alteri superesset incendio. Tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare vrbes singulas possent, vna nox strauit, & in tanta pace, quantum ne bello quidem timere*

meri potest, accidit. *Quis hoc credat? ubiq<sub>3</sub>* armis quiescentibus, cum toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, queritur. Omnibus fortuna, quos publice afflixit, quod passuri erant, timere permisit. Nulla res magna non aliquod habuit ruine suae spatium. In hac, una nox interfuit, inter urbem maximam, & nullam. Denique diutius illam tibi perysse, quam perijt, narro.

## §. III.

*Ubiq<sub>3</sub>* ferè fungi primo loco Fortunam, & Casum; ac proinde Mundum hunc non esse compositum in securitatem.

Hæc omnia Liberalis nostri affectum inclinant, aduersus sua firmum & erectum, nec sine causa concussus est. Inexpectata plus aggrauant. Nouitas adycit calamitatibus pondus: nec quisquam mortalium non magis, quod etiam miratus est, doluit. Ideò nihil nobis improuisum esse debet. In omnia præmittendus est animus: cogitandumq<sub>3</sub>, non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. *Quid enim est, quod non fortuna, cum voluit, florentissimo detrahat? quod non eò magis aggrediatur & quatiat, quò speciosius fulget? quid illi arduum quidús difficile est? non una via semper, ne tota*

quidem incurrit. Modò nostras in nos manus  
 aduocat, modò suis contenta viribus inuenit  
 pericula sine auctore, nullum tempus exceptum  
 est, in ipsis voluptatibus causa doloris oriuntur.  
 Bellum, in media pace, consurgit, & auxilia  
 securitatis in metum transeunt, ex amico ini-  
 micus, hostis ex socio. In subitas tempestates,  
 hibernisq; maiores, agitur æstiuam tranquillitas  
 sine hoste patimur hostilia; & cladis causas, si  
 alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit. In-  
 uadit temperatissimos morbus, validissimos  
 Phthisis, innocentissimos pœna, secretissimos  
 tumultus.

## §. IV.

Omnes Fortune ictus, omnes urbium &  
 hominum Casus animo esse præ-  
 meditandos.

Eligit aliquid noui casus, per quod velut ob-  
 litis vires suas ingerat. Quidquid longa series,  
 multis laboribus, multa Dei indulgentia stru-  
 xit, id vnus dies spargit ac dissipat. Longam  
 moram dedit malis properantibus, qui diem dis-  
 xit, horam, momentúmque temporis, euertent  
 dis imperijs sufficere. Esset aliquod nostra im-  
 becillitatis solatium, rerúmque nostrarum,  
 tanta celeritate repararentur cuncta, quantum  
 finiuntur. Nunc incrementa lentè exeunt, se-  
 stina-

Finatur in damnum: nihil priuatum, nihil publice stabile est: tam hominum, quam urbium fata voluntur. Inter placidissima, terror existit, nihilq; extra tumultuantibus causis, mala unde minimè expectantur, erumpunt. Quae domesticis bellis, steterant regna, quae externis, impellente nullo, ruunt. Quota quaq; felicitatem ciuitas pertulit? cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea, quae possunt euenire firmandus. Exilia, tormenta, bella, morbos naufragia meditare, potest te patria, potest patriam tibi casus eripere: potest te in solitudinem abycere, potest hoc ipsum, in quo turba suffocatur, fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humana conditio ponatur: nec quantum frequenter euenit: sed quantum plurimum potest euenire, praesumamus animo, si nolumus opprimi, nec ullis inusitatis velut nouis obstupesceri. In plenum cogitanda fortuna est. Quotiens Asia, quotiens Achaia urbes, vno tremore, ceciderunt? Quot oppida, in Syria? quot, in Macedonia, deuorata sunt? Cyprum quotiens vastauit haec clades? Quotiens in se Paphus corruit? frequenter nobis nunciati sunt totarum urbium interitus: & nos, inter quos frequenter ista nunciantur, quota pars omnium sumus? Consurgamus itaq; aduersus fortuita, & quid-

quid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam rumore iactetur. Civitas arsit opulenta, ornamentumque Provincialium, quibus & inserta erat, & excepta, vni tamen imposita, & huic non altissimo monti. Omnium istarum civitatum, quas nunc magnificas, ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides, quemadmodum, in Achaia, charissimarum urbium iam fundamenta consumpta sunt: nec quicquam extet, ex quo appareat, illas saltem fuisse? non tantum manufacta labuntur, non tantum humana arte atque industria posita vertit dies. Iuga montium diffluunt, tota desedere regiones. Operta sunt fluctibus, quae procul à conspectu maris stabant. Vastavit ignis colles, per quos elucebat: erosit & quondam altissimos vertices, solatia navigantium, ac speculas ad humilem arenam deduxit. Ipsius naturae opera vexantur, & ideo, equo animo, ferre debemus urbium excidia. Casura omnia extant: omnibus exitus manet; sine interna vi statumque praclusi venti, pondus, sub quo tenentur, excusserint: sine torrentium in abdito vis obstantia effregerit: sine flammaram violentia compaginem soli ruperit: sine vetustas, à qua nihil tutum est expugnauerit minutatim: sine gravitas cali eiecerit populos, & situs deserta

corruerit. Enumerare omnes fatorum vias longum est. Hoc unū scio; omnia mortaliū opera, mortalitate damnata sunt: inter peritura, viuimus.

## §. V.

*Multa, post casum, altiūs surgere.*

Hac ego atque eiusmodi solatia admoueo Liberali nostro, incredibili quodam patriæ suæ amore, flagranti: quæ fortasse consumpta est, ut meliūs excitaretur. Sæpe maiori fortuna locū fecit iniuria; multa ceciderunt, ut altiūs surgant, & in maius. Timagenes felicitati urbis inimicus aiebat, Roma sibi incendia ob hoc unū dolori esse, quòd sciat meliora resurrectura, quàm arsisset: in hac quoque vrbe verisimile est, certaturos omnes esse, ut maiora certioraque, quàm amisere, restituantur. Sint utinā diuturna, & melioribus auspicijs in æuum longius condita. Nam huic colonie, ab origine sua, centesimus annus est, etas ne homini quidē extrema. Deducta in hanc frequentiam, loci opportunitate, conualuit. Quæ tamen grauissimos casus intra spatium humana pertulit senectutis.

## §. VI.

Omnibus eadem esse, in Mundo, Fortune pericula; nec quenquam à communi lege mortalium se se eximium debere arbitrari.



Itaq; formetur animus ad intellectum, patientiamq; sortis suae, & sciat nihil inausum esse fortuna. Aduersus imperia illam idem habere iuris, quod aduersus imperantes: aduersus urbes idem posse, quod aduersus homines. Nihil horum indignandum est. In eum intrauimus mundum, in quo his legibus uiuitur. Placet? pare. non placet? quacunq; vis, exi. Indignare, si quid in te inique proprie constitutum est. Sed si hac imos summósq; necessitas alligat, in gratiam cum fato reuertere, a quo omnia resoluntur. Non est, quod nos tumultis metiaris, & his monumentis, quae uiam disparia prae texunt. Aequat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur. Idem de urbibus, quod de urbium incolis dico. Tam Ardea capta, quam Roma est. Conditor ille generis humani, non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Ubi uero ad finem mortalium uentum est: Discede, inquit, ambitio: Omnium quae terram premunt, siremps lex est. Ad omnia patientia, pares sumus. Nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior. Alexander Macedonum rex discere Geometriam infelix ceperrat, sciturus, quam pusilla terra esset, ex qua uimum occupauerat. Ita dico, infelix, ob hoc, quod intelligere debebat, falsum se gerere cognomen.

men. Quis enim magnus in pusillo esse potest? erant illa, quae tradebantur subtilia, & diligentia intentione discenda, nam quae percipere posset vesanus homo & trans Oceanum cogitationes suas mittens? Facilia, inquit, me doce. Cui praeceptor: ista, inquit, omnibus eadem sunt, aequae difficilia. Hoc puta rerum naturam dicere. Ista, de quibus quereris, omnibus eadem sunt, nulla dari facilia possunt: sed quisquis volet, sibi ipsi illa reddet facilia. quomodo? equanimitate.

§. VII.

Impatientia omnes Casus fieri truculentiores; patientia autem emendari.

Quod & alio loco docens, ostendit, impatientia plagam fieri luculentiozem. Verba eius sunt: *Aduersus hos muniendi sumus. Nullus, contra fortunam, inexpugnabilis murus est. Intus instruamur. Si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest. Quod si hoc instrumentum, scire desideras? Nihil indignetur, sibi accidere, sciatq; illa ipsa, quibus ladi videtur, ad conseruationem uniuersi pertinere, & ex his esse, quae cursum mundi officiumq; consummant. Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc seipsum suaq; miretur, quod non potest vinci, quod mala sub se tenet; quod ra-*

Idem lib,  
1. epist.  
74.

tione, qua valentius nihil est, casum, dolorēq;  
 & iniuriam subigit. *Ama rationem*: huius te  
 amor contra durissima armabit. *Catulorum a-*  
*mor in venabula impingit feras, quas feritas &*  
*inconsultus impetus præstat indomitus. Iuveni-*  
*lia nonnunquam ingenia cupido gloria in con-*  
*temptum tam ferri, quam ignium misit. Spe-*  
*cies quosdam atq; umbra virtutis in mortem*  
*voluntariam trudit. Quantò his omnibus for-*  
*tior ratio est, quantò constantior: tantò vehe-*  
*mentior, per metus ipsos, & pericula, exhibit.*  
 Hoc in exemplis sacris clarum est. Quid  
 profuisset Patriarchæ Jacob, contra tot ca-  
 sus, furere? patienter omnia tulit, & conse-  
 cutus est, quod ei benedictio paterna im-  
 pertiuit, Iosephum Patriarcham, qui ca-  
 sus, non rotarunt? emerfit tandem, non se  
 fortiter defendendo, sed fortiter omnia to-  
 lerando. Iob per quas non procellas iuit?  
 quantis non rebus spoliatus est? *Domini*  
*autem benedixit novissimis Iob magis, quam*  
*principio eius. David, per quot hostes & ha-*  
*stas, se non penetrauit? Et penetrauit ta-*  
*men, regnavitque, semper triumphans post*  
*pugnas. Tobix quoque & opes, & filium,*  
*& oculos restituit Deus, post multas & gra-*  
*ves persecutiones: nempe quia acceptus erat*  
 Deo,

Iob. 42.  
 12.

Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret illum. Tob. 12.

Hæc est Fortunæ rota, in qua, qui potest 13.

deprimi æquo animo, solet extolli. Qui autem subactus indignatur, gemit, rotamque excutiendo succutit, grauius feritur. Satis fuisse Sauli, victum esse; satis fugisse, satis sagitta ictum; sed ille, ne caperetur, aut ab alijs interficeretur, *arripuit gladium, & ir-*

*rruit super eum.* Quis dicat, interfectorem sui fortiter fecisse? fortiter fecisset, si inter

1. Reg. 31.

4.

aduersa, viuere sustinisset. Suffecisset Achitopheli ad humiliationem, *quod non fu-*

2. Reg. 17.

23.

*isset factum consilium eius.* Impatiens fuit; & suspendio infortunia velut in fascem colligauit. Rectè atque sapienter quisque faceret, si non ipse sibi, per impatientiam, mala grauiora accerferet, sed diuinæ prouidentia dispositionique se, & sua omnia subijceret. Nemo melius nouit, quid nobis proficit, summo gubernatore, quem qui vult corrigere, experitur, non illum regendo, sed se corrigendo errauisse.

### §. VIII.

*Eas cruces & grauamina nobis utilissima esse, non quæ nos ipsi eligimus, sed quæ nobis à Deo imponuntur.*

Præclare id mundi Paterfamilias sapien- Ludou.  
tissi-

Blof. in  
Monli  
spirit. c.  
10.  
Vide su-  
pra cap.  
3. §. 4.  
Solonis  
simile di-  
ctum.

S. August  
1. 50. Hō.  
hom. 10.

tissimus, teste Blofio, docuit aliquando, *cum* virgo Gertrudis commiseratione mota, oraret pro quadam persona, quam audierat impatienter conquerentem, quod Deus grauamina sibi immitteret saluti sua minus conuenientia. Respondit enim ei Dominus: Dices illi, pro qua oras, vt, quia sine aliqua saltem tribulatione vel molestia regnum caeleste obtineri non potest, eligat, atque indicet, quænam grauamina sibi vtilia esse putet? Et, cum hæc ipsi euenerint, seruet patientiam. In quibus verbis Domini, Gertrudis intellexit, periculosissimum genus impatientie esse, quando homo peruersè ac superbe eligere vult, quæ ferat: dicens saluti suæ minus congruere, seq̄ non posse sustinere ea grauamina, quæ sibi à Deo immittuntur. Oportet enim, vt quilibet semper confidat, illud conuenientissimum & vtilissimum esse, quod sibi Deus imponit, aut euenire permittit: & quando hæc non omnino patienter sustinet, inde seipsum humiliare debet. Hæc est ars vtilissima & maxime mortalibus omnibus necessaria, non velle regere mundi Rectorem, sed regimen illius pati, & optimū existimare; illumq; semper colere. Non colimus Deum, vt hîc felicitatē habeamus. Quanti illam habent, qui non colunt Deum? ait fan-

sanctum illud ingenium, nec, ut hic senescamus, & decrepiti efficiamur. Quanti senescunt blasphematores Dei? Nec ideo colendus est Deus, ut cultores illius habeant filios, & non sint steriles. Filios enim Deus & onagris, & serpentibus dat. Non ergo pro magno & vero bono petendum est, quod & Indeis, & Paganis, & haeticis, etiam & ipsis bestiis datur. Aurum enim & argentum, honores & filios, & patrimonia, multi habent etiam mali. Qui enim vere Christianus est, non ista omnia transitoria debet petere, sed totum pondus intentionis vel orationis suae, ad expetendam aeternam beatitudinem debet impendere. Ista enim temporalia bona, & quando Deus dat, gratiae agantur, & quando tollit, gratiae agantur. Ista, quando voluerit, tribuet; quando voluerit, tollet: tantum est, ut se ipsum non auferat. Haec firma est anchora. At cui spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet à Fortuna; huic nihil oportet esse certi, nihilq; , quod exploratū habeat permanfurum sibi, ne vnum quidē diem. Itaque Deo nitendum est, non Dea. Ille, per miserias, nouit procurare felicitatem. Ista extollit in casum. Superest igitur, ut neminem de *Fortuna* magnum existimemus. *Dicamus potius*, ait scriptor Ethnicus *Fortunam*

Plutarch.  
orat.

paruos,

2. de fortit. Alexand.

*paruos, timidos, abiectos facere. iniustum verò esse, qui vel vitium infortunio, vel fortitudinem & prudentiam prospera Fortuna accepta ferat. Suâ quisque culpâ vitiosus est, & hinc verè infelix. Expertæ virtutis homo fortitudinem calamitate affirmat, aduersisq; rebus, arbitratur sibi à Deo, non cadendi, sed vincendi offerri occasionem; illud identidem in ore habens: Benedictus dominus Deus*

Psal. 143.  
1.Psal. 144.  
18.

*meus, qui docet manus meas ad prælium: & digitos meos ad bellum: itemque & istud: Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis.*

F I N I S.

OMNIA AD MAIOREM DIVINÆ  
SAPIENTIÆ GLORIAM.

*Cum facultate Superiorum.*

INDEX

INDEX CAPITVM

I N D E X  
CAPITVM ET PARAGRA-  
PHORVM:

C A P V T I.

Quid nō sit, aut quid sit Fortuna, Casus, Fa-  
tū? & in his omnibus Deū dominari.

- § 1. *Nullum fortuna aut fati auxilium ad-  
iungi posse Deo.* pag. 1.
- § 2. *Ethnicorum Fortunam Deam creden-  
tium fabulosa opinio.* 2
- § 3. *Christianorum quoq; nonnullorum va-  
na de fortuna persuasiones.* 4.
- § 4. *Nomen & Numen fortuna unde or-  
tū, & à quibus oppugnātū? 6. (tia. 7.*
- § 5. *Lactantij de Fortune assertorib<sup>9</sup> senten-  
tia.*
- § 6. *Vniuersum mundum non à fortuna, sed  
à diuina Providentia regi.* 8.
- § 7. *Fortuna pro Dea habita refutatio.* 10.
- § 8. *Fortunā atq; fortuita, ob hominum oc-  
cultas rerum causas ignorantū opinionem,  
ita dici, ratione autem Dei omnia providen-  
tis, nihil esse fortuitum.* 13.
- § 9. *Quid, ex vera Aristotelis, ac Philosopho-  
rum rectè sapientium sententia, sit Fortu-  
na & Casus?* 15.
- § 10. *Quodnam sit inter Fortunam, & Casum,  
discrimen?* 17.
- § 11.



ET PARAGRAPHORVM.

- §. 11. *Nullum in Mundo casum contingere, nullam Fortunam mutari, sine diuina sapientie dispositione.* 18.
- §. 12. *Cur Deus subinde, in diuinis litteris, loquatur, per modum dubitantis?* 21.
- §. 13. *Neg<sup>3</sup> homines semper dubitare, quando per modum dubitantium loquuntur.* 22.

C A P V T II.

Remedium patientiæ est, scire Casus à Deo esse; quibus hominem vel extollit, vel deprimat. 24.

- §. 1. *Æquius ferri ea, quæ à Deo, quàm quæ à Fortuna putantur esse profecta. eadem pag.*
- §. 2. *Quàm malè quidam Fortunam, Casus, aut Fata accusent?* 25.
- §. 3. *Iosephi Patriarchæ & Saulis regis Fortuna à Deo gubernata.* 27.
- §. 4. *Casu vsus Deus, ad artem medicam & urbem erigendam; sicut & ad S. Martinum miraculose sanandum.* 30.
- §. 5. *Casu pictor impetrat, quod arte atque ingenio non potuit. cur?* 31.
- §. 6. *Casu iaculati, diuina manu directi.* 33.
- §. 7. *Præter suam, sed non præter Dei mentem, plus efficit versu, Abbas, quam destinat.* 34.
- §. 8. *Deus, per Nonitium temerè loquentem, senem facit seria cogitantem.* 36.

§. 9.

ET PARAPHRASORVM.

- §. 9. S. Bernardo obuiam missus clericus, à Deo  
sibi obuiam missum Bernardū experitur. 37.
- §. 10. Monetis casu dicta, consilio Dei utili-  
ter exceptit. 38.
- §. 11. Diuinū Iacobi Fortunati è casu omen. 40.
- §. 12. Kenelmi mors & causa, casu pariter &  
miraculo patefacta. 41.
- §. 13. Gregory Pontificis. VII. & Conradi II.  
Imperatoris futura potestatis à Deo omino-  
sus & efficax casus. 42.
- §. 14. Mirabilis casus Sartoris, furtum, mi-  
raculosâ scriptura, prodentis. 44.

CAPVT. III.

Casuum fortunatorum & infortunatorum  
aliâ caussæ, aliâque exempla, vicissitu-  
dinem inconstantiâque docentia hu-  
manæ felicitatis. 46. (se velit? eâdem:

- §. 1. Cur Deus tot aduersos, in terris, casus ef-  
§. 2. Fortune rota & rerū humanarū instabi-  
litas, quâ vtilis sit, ut sapere discamus? 48.
- §. 3. Fortune inconstantia metum modesti-  
amq; felicibus inicit, miseros autem in spem  
vocat secutura mutationis. 51.
- §. 4. Fortune remedium est, mala sua non  
putare maiora esse malis aliorum. 53.
- §. 5. Sapientum est, omnem Mundi felicitate-  
tem suspectam habere. 54.
- §. 6. Hugolini Girardesci infelicissimâ felici-

Q

tas.

INDEX CAPITVM

tas. 59.

(tas. 57)

- §. 7. *Duorum Coniugum felicissima infelicitas.*
- §. 8. *Pertinax Polycratis felicitas quam tistem sortita sit exitum?* 65.
- §. 9. *In aquas lapsa, feliciter reddita.* 66.
- §. 10. *Contus, seu stupendus Fortune baculus à S. Columba pauperi alendo datus.* 67.

CAPVT. IV.

*Nihil Fato vulgi, aut alicui necessitati stellarum esse ascribendum.* 74.

- §. 1. *Eosdem plerumq; esse Fatorum & Fortune adoratores.* eadem pag.
- §. 2. *Nullam à Fato esse necessitatem, neq; stellas in libera mortaliū negotia dominari.* 76.
- §. 3. *D. Ambrosij contra fatales stellas argumenta & rationes.* 78.
- §. 4. *D. Augustini, itémq; D. Chrysostomi luculenta contra fatum exempla.* 81.
- §. 5. *Quantum rationi repugnent, qui putant stellas, veluti Parcas quasdam fatali nentes, arbitry libertatem strangulare?* 84.
- §. 6. *Quàm multi Astrologorum se se stultitys falli sinant?* 87.
- §. 7. *Variorum de stella à Magis, in Oriente, visa, vel errores, vel opiniones.* 90.
- §. 8. *In Christi horoscopo, mysteria Christi videri non potuisse.* 91.
- §. 9. *Potius Christum stella, quàm stellam Christi fatum fuisse.* 93.

§. 10.

ET PARAGRAPHORVM.

- §. 10. De stella cum Christo oritura, vaticinium Balaam. 94. (ruit. 96.
- §. 11. De excellentia stella qua Magis appa-
- §. 12. Magorum exemplo, per astra & creaturas, ad Deum esse ascendendum. 98.
- §. 13. Fati necessitas, cum quanta impietate ac pernicie asseratur? 100.
- §. 14. Ludouici Landgranij exemplo, scioli doceantur, à praescientia Dei, contra arbitrij libertatem, non esse argumentandum. 101.
- §. 15. A Fati necessitate omnibus ferè operibus humanis gulam interstringi. 140.
- §. 16. Quo sensu Fatalis necessitas tolerari, aut tanquam vera explicari possit? 105.
- §. 17. Suspectum Patribus & periculosum Fati nomen, quo bono intellectu possit nominari? 109.

C A P. V.

Rectas esse vias, etiam cum Deus per mirabiles hominem Casus & varias vtriusq; fortunæ ambages, deducit, illustri historia docetur. III.

- §. 1. Ambagiosas quoque vias, per quas hominem ducit Deus, esse rectas. eadem.
- §. 2. Conradi II. Imp. seuera iustitia, & Lupoldi metus ac fuga. 114.
- §. 3. Lupoldi comitis eiusq; filij Henrici, admirabilis Fortuna, & afflicti Casus incertiq; enētū leto certiq; à Numine terminati. 116.

INDEX CAPITVM

CAP. VI.

Historiæ superioris ambages & Casus, per  
corollaria explicantur. 129.

§. 1. *Quinam supra dictū Comitem male imi-  
tentur?* eadem.

§. 2. *Omnes hominū vires & conatus, contra  
Deū euntes, irritos fieri.* 130. (tuna. 131.

§. 3. *In Comite Palatino, vices alternans For-*

§. 4. *Sapientissime constituta, in terris, rerum  
omnium vicissitudo.* 132.

§. 5. *Varij heroes, quos in varios infestōsq; Ca-  
sus, demisit Deus.* 134.

§. 6. *In ipsius Christi vita, quanta fuerit, gloria,  
& infamiae rerūq; ceterarū vicissitudo?* 137.

§. 7. *Exemplo varijs casibus actorum, nullum  
nos Casum grauiter accipere debere.* 140.

CAP. VII.

*Quinam, & quanto fructu, considerārint,  
Casus omnes, non à Fortuna, sed à Deo  
mortalibus inuehi?* 143.

§. 1. *Cum Deus in omni Casu adsit, nullum in-  
ste indignationi locum esse.* eadem.

§. 2. *Tulipe ad solem se pendentis, cum homine  
leta duntaxat captantis comparatio.* 144.

§. 3. *Dauidis flagella voluntaria suscipientis  
promittitudo.* 146. (scntis. 148.

§. 4. *Patentia Iobi à Deo se percussum agno-*

§. 5. *Aduerse Fortuna summam octo remedia  
recensentur,* 149. §. 6.

ET PARAGRAPHORVM.

- §. 6. Tobias cecitatem à Deo immiffam agno-  
fcit, atq; ea notitia, tanquam clypeo, impa-  
tientia authores remouet. 151.
- §. 7. Alaricus Gothorum Dux, & Semei non  
fine diuina voluntate, ille Romanis, ifte Da-  
uidi aduerfus. 154.
- §. 8. Lupus Epifcopus Attilam, vt flagellum  
Dei, reuerens, dum patienter acceptat, eni-  
tat; noua arte superandi hoftes. 156.
- §. 9. Mauritij Comitibus miseras miserijs adde-  
re nolentis misericordia. 158.
- §. 10. Deus homines Cafibus inuoluit, vt orandi  
prebeat occasionem; nec ftatim liberat, vt  
orationem efficiat ardentiozem. 160.
- §. 11. Triumpuerorum Fortune authorem De-  
um agnofcentium generofa patientia & fru-  
ctus. 163.

CAP. VIII.

Cafuum à Deo immiffiorum complures v-  
tilitates fpirituales. pag. 164.

- §. 1. Alia paterni amoris figna effe, in filijs fe-  
culi, alia in filijs Dei. eadem.
- §. 2. Deum filios fuos flagellis probare. 166.
- §. 3. Fortium & magnarum mentium eft,  
fortia & magna pati. 167.
- §. 4. Præftare filium doloris effe in hac, quam  
in altera vita. 169.
- §. 5. Hydropici fenis intercute aqua, quam  
æternis ignibus cruciari præoptantis. 170.

INDEX CAPITVM

- §. 6. Optabilius esse, ut in hac vita secemur,  
& vramur, quam in altera, exemplo san-  
cti senis, & minimè sancti epulonis. 172.
- §. 7. Arumnosis Fortune Casibus hominū in-  
solentiā refranari, & excitari indolē: & Ca-  
tharina Aragonia, de fortuna iudiciū. 174.
- §. 8. Cū fortuna bonis, auferri occasione peccā-  
di: & S. Edildride aliorūq<sub>3</sub>, per ulcera &  
vulnera, ad verā salutē euntiū exēpla. 177.
- §. 9. Virtutum cos aduersitas. Itēq<sub>3</sub> Fortu-  
na victores, esse Strutioni ferrum digerenti  
similes, & animalibus in mari degentib<sup>9</sup> 180.
- §. 10. Nostra infortunia cum D. Laurentij,  
aliorūq<sub>3</sub> Martyrum cruciatibus compa-  
rata, vix umbram esse malorum. 184.
- §. 11. Nullū fuisse, cui magis bone felicitates  
hui<sup>9</sup> vitæ fere omnes aduersæ fuerint, quam  
Christum gentis humana reparatorem. 185.
- §. 12. Aduersis pressos Xpi exēplis roborari. 188.
- §. 13. Christianis à Saraceno Christi exēplū  
propositum; cuius calice considerato, omne  
nobis absynthium dulcescit. 198.
- §. 14. Per aduersa viam esse ad victoriā  
& coronam. 191.
- §. 15. Ad omne, cū fortuna, certamē, à coelesti nos  
gloria uti olim S. Adelgundē excitari. 183.
- §. 16. Spei causā & velut coelestem arrhā esse,  
aduersis rerū vndis immerfabilem fieri. 195.

ET PARAGRAPHORVM  
CAPVT. IX.

- A: Fortuna excæcatis oculos aperiri, si ve-  
lint considerare, quid futura, quid præ-  
sens ferat felicitas. 197.
- §. 1. *Futuram in calo felicitatem presenti  
longè anteponendam. eadem.*
- §. 2. *Quanta sit futura Beatorum felicitas? 200.*
- §. 3. *Quantilla sit Mundi huius felicitas;  
immo quam infelix? 203.*
- §. 4. *Quale sit inter Fortunam & felicitatem  
huius vitæ discrimen? & utramq; magis ti-  
mendam esse, quàm ipsam miseriam. 307.*
- §. 5. *Fortune humana debilia fundameta. 206.*
- §. 6. *Fortuna inconstans cecitas, & cæca in-  
constantia. 280. (diuitijs felicitas? 209.*
- §. 7. *Quàm misera, quàmq; periculosa sit in*
- §. 8. *A Monymo diuitias abycere discunt,  
qui feliciter volunt sapere. 211.*
- §. 9. *Amisionem magnarum opum magno  
animo ferre, qui opes ipsas magni non faci-  
unt: exemplo Ioannis Eleemosynarij. 212.*
- §. 10. *S. Bernardi amisionem bonorum be-  
nificij loco habentis, magnanimitas. 214.*
- §. 11. *Honoris ac dignitatum Fortuna subie-  
ctarum vanitas. ibidem.*
- §. 12. *Sanitatem corporis eiusmodi bonum  
esse, ut subinde ei corporis infirmitas fuerit  
prælata, ut in Egidio fuit videre, qui sagit-  
ta ietus noluit sanari. 218.*
- §. 13.



INDEX CAPIT. & PARAG.

- §. 13. *Sanitatem beneficium Dei esse: sed saepe maius beneficium esse, iacturam sanitatis: ut in Audomaro patuit cecitate eligente.* 220.
- §. 14. *Cur Pigmenius sibi de cecitate sit gratulatus? & quam alij cecitatis suae possint habere consolationem?* 222.
- §. 15. *Ubi vera quæri debeat felicitas?* 224.

CAPVT. X.

Quænam in Fortuna casib<sup>9</sup>, è Seneca peti possint, contra impatientiam remedia? 225.

- §. 1. *E quibus authoribus remedia contra Fortunam peti possint? ibidem.* (mitis. 226.)
- §. 2. *Lugdunensis incendij miseranda calamitas.*
- §. 3. *Ubiq<sup>3</sup> fere fungi primo loco Fortunam & Casum; ac proinde Mundum hunc non esse compositum in securitatem.* 227.
- §. 4. *Omnes Fortune, omnes urbiu<sup>m</sup> & hominu<sup>m</sup> casus animo esse premeditandos.* 228.
- §. 5. *Multa, post casum, alius surgere.* 231.
- §. 6. *Omnes eadem esse, in Mundo, Fortune pericula; nec quenquam a communi lege mortalium sese eximium debere arbitrari.* ibidem.
- §. 7. *Impatientia omnes casus fieri tuculentiores; patientia autem emendari.* 233.
- §. 8. *Eas cruces & grauamina nobis utilissima esse, non quia nos ipsi eligimus, sed quia nobis à Deo imponuntur.* 235.

osts

F I N I S.

INDEX RERVM, ET VERBORVM:  
 PRIOR NUMERVS CAPVT, POSTE-  
 rior Paragraphum significat.

- A**bbas Otisburgensis plus  
 efficit versu, quam desti-  
 nat. 2. 7.  
**S.** Adelgūdis spe celestis gloria  
 ad patientiā excitatur. 8. 15.  
**A**dversitas est signū diuina e-  
 lectionis. 8. 16. **S**iam sternit  
 ad coronam. 8. 14. **V**irtutē  
 acuit. 8. 9. **C**um octo reme-  
 dia. 7. 5. eā pressi, Christi  
 exemplis roborantur. 8. 12.  
**A**equius feruntur mala, qua à  
 Deo putantur esse profecta. 2. 1.  
**Alaricus** Gotorum dux, non  
 sine diuinā voluntate, Ro-  
 manus aduersus. 7. 7.  
**Alexander Magnus** iclus. sa-  
 puit. 8. 8.  
**Alternans** Gices in **Lupoldo**  
 Comite fortuna. 6. 3.  
**Amasis** Aegyptiorū regis mo-  
 nitum. 3. 8.  
**Ambagiosa** Via, per quas ho-  
 minē ducit Deus, recta. 5. 1.  
**Ambitio** Empedoclis, **Numa**,  
**Monyma**. 9. 11.  
**D. Ambrosii**, contra fatales  
 stellas, rationes. 4. 3.  
**Amoris** paterni signa alia in  
 filijs seculi, alia in filijs  
 Dei. 8. 1.  
**Ara** mala **Fortuna** in **Exqui-**  
 lijs exstructa. 1. 2.  
**Aristoteli** quid **Fortuna**, quid  
**Causa**? 1. 9.  
**Arrha** calis, aduersis immer-  
 gi. 8. 16.  
**Ars** noua superādi hostes. 7. 8.  
**Astralogos** sese stultitijs sine-  
 re falli. 4. 6.  
**A te** **Homericā**. 4. 4.  
**Attali** **Stoici** dictum. 8. 3.  
**Attila** rex **Hunnorum** se di-  
 cit **Flagellum** Dei. 7. 8.  
**Audomarus** pro **Visu** cacita-  
 tem eligit. 9. 13.  
**D. Augustini** luculenta con-  
 tra **Fatum** exempla. 4. 4.  
 seipsum reprehendit ob no-  
 men **Fortuna**, etiam bono  
 sensu, & surpatum. 1. 4. & 6.  
**Authores** remedia contra **For-**  
**tunam** qui suppeditēt? 10. 1.  
**B**alaam pradicat **stellam** cū  
**Christo** orituram. 4. 10.  
**Beatorum** felicitas quanta  
 futura? 9. 2.  
**Benedictio** sanctorum hominū  
 magni facienda. 3. 10. **S.**  
**Columba** mirē potens. *ibid.*  
**Beniamin**, quid? 8. 4.  
**S. Benonis** clauis in aquas pro-  
 secta, feliciter reddita. 3. 9.  
**Benoni**, quid? 8. 4.  
**S. Bernardo** missus obuiā cle-  
 ricus, à Deo sibi obuiā mis-  
 sum **Bernardum** experitur.  
 2. 9. **amissio** bonorum, bene-  
 ficij loco, habita. 9. 10.  
**R**  
**Bupa**

INDEX RERVM

Bis palus Fortunam quomodo  
pinxerit? 1. 3.

**C**acca Veteribus efficitur  
Fortuna. 1. 2.

Cacitas pra visu electa. 9. 13.  
eius solatium. 9. 14. de illa  
gratulatus sibi Pigmeneus,  
& cur? ibid.

Callistonico Thebano simula-  
crum Fortuna quale? 9. 5.

Calumnia vel sapientem in-  
terdum turbat. 8. 15.

Casus, quid? 1. 9. à Fortuna  
qui differat. 1. 10. nullum  
contingere sine Dei prouiden-  
tia. 1. 11. nihil ei adscri-  
bendū. 2. 2. casu Deus visus  
ad artem medicam, & Ur-  
bem erigendam. 2. 4. casus  
miraculum non casu ante-  
cedens. ibid. casu pictor im-  
peirat, quod arte atq; inge-  
nio non potuit, cur? 2. 5. casu  
saculati, diuinā manu dire-  
cti. 2. 6. casu dicta, consilio  
Dei vtiliter excepta à Mo-  
naco. 2. 10. casus Iacobo For-  
tunato fit omen. 2. 11. casusq;  
Deusq; innocentia patroni.  
2. 12. casus ominousus futura  
potestatis. 2. 13. casus furto-  
ris furtum miraculosā scri-  
pturā prodēs. 2. 14. sepe ma-  
iori fortuna locū facit. 10. 5.

Casibus aduersis nos erudit  
Deum ad patientiā. 2. 2. ma-

gna ijs vtilitas inest. 3. 2. ca-  
sibus varijs Heroes varij im-  
plicati. 6. 5. casus aliorū no-  
stra patientia magistri. 6. 7.  
omnes tanquam à Deo sus-  
cipiendi. 7. 1. ijs à Deo im-  
plicati tenentur homines, &  
ardentius orēt. 7. 10. omni  
animo praecipendi. 10. 4. im-  
patientia exasperantur. 10.  
7. molliuntur patientia. ibid.  
eius res exempla. ibid.

Catharina Aragonia de For-  
tunā iudicium. 8. 7. eius pa-  
tientia. ibid.

Cebetū de Fortunā opinio. 1. 2.  
Christi nascentis horoscopus. 4.  
7. in illo, mysteria eius vi-  
deri non potuerunt. 4. 8. Chri-  
sti stella potius, non stella  
Christo fatū. 4. 9. nascentis  
stella à Balaam praedicta. 4.  
10. eius vita mirā & vicijs  
dine acta. 6. 6. bona omnes in  
hac vita felicitates et ad-  
uersa, & nulli magis. 8. 11.  
eius exemplis roborantur ad-  
uersis pressi. 8. 12. & 13.

Christianorum quorundā vi-  
na de Fortunā per suasionem.  
1. 3. qua ab ijs etiam varijs  
sed male pingi solita. ibid.  
quo fructu à Saraceno Chri-  
sti exemplū ijs propositū? 8. 1. &  
D. Chrysostomi exemplum co-  
tra Fatum. 4. 4.

ET VERBORVM.

Clavis S. Bennonis feliciter re-  
perta. 3. 9.

S. Columba contus stupendus.  
3. 10. eius benedictio. ibid.

Coniugum duorum felicissima  
infelicitas. 3. 7

Conradi II. Imp. futura po-  
testatis à Deo ominosus &  
efficax casus. 2. 13. eius se-  
uera iustitia. 5. 2.

Constantinus M. contumelia  
contemptor. 9. 11.

Contus à S. Columba pauperi  
alendo datus. 3. 10.

Craesi salubre concilium. 3. 3.

Crux in mare prolapsa, felici-  
ter restituta. 3. 9. crucis amor  
in Stephano Monacho. 8. 6.

Cruces illa Scitissima, qua no-  
bis à Deo imponuntur. 10. 8.

quod diuinitus docetur S.  
Gertrudis. ibid. Cynigeri. 4. 6.

Davidis fortuna varia. 6. 5.

flagella Voluntarie sus-  
cipientis promptitudo. 7. 3.

& patientia. 7. 7. (8. 7.)

Demetrio Vita securi quid?

Deus, non Urgetur necessitate

Fata. 1. 1. neq; & illum fortuna  
auxilium ei adiungi potest.

ibid. dubitanter loquens,  
nunquam dubitat. 1. 12. cur  
in diuinis litteris ita loqua-  
tur? 1. 12. & 13. dubitanter  
loquens mysterium innuit.

1. 13. eo conscio, contingunt

omnia. 2. 2. aduersis casibus

ad patientiam erudit nos

ib. quos proinde illi adscri-  
bere, huius remediū est. ibid.

per Nouitiū remere loquen-  
tem, senem facit seria cogi-  
tantem. 2. 8. innocentia pa-  
trocinatur. 2. 12. casibus mo-  
derari, exemplis ostenditur.

2. 13. & 14. casu tamen & sua  
ad artem medicam, & Er-  
bem erigendam. 2. 4. in astris

agnoscendus, magorū exem-  
plo. 4. 12. etiam per ambages  
rectè ducit. 5. 1. eius via mi-  
rabiles. 6. cap. toto. frustra

es repugnatur. 6. 2. in omni  
casu adest. 7. 1. eius sapiētia

in tribus pueris inter flam-  
mas Deum benedicientibus.

7. 10. auctor fortuna ab illis  
agnoscitur. 7. 11. homines in-  
uoluit casibus, & orādi pra-  
beat occasionem. 7. 10. filios

suos flagellis probat. 8. 2.

Diabolus cur non statim post  
peccatū inferno alligatus? 3. 1.

Dignitatum & sanitas. 9. 11.

Discrimen inter fortunam &  
& felicitatē huius Vita. 9. 4.

Disparitū felicitas quā mi-  
sera & periculosa. 9. 7. ea à  
Monymo, amore phisosophre,

abiecta. 9. 8.

Dolere in hac, quā in alterā  
Vita satius. 8. 4.

Dubi-

# INDEX RERVM

*Dubitantis in morem loquens*  
*Deus, mysterium innuit.* 1. 3.  
*ita loquens, humano more*  
*loquitur.* 1. 12.  
*Dubitanter loquētes homines,*  
*non semper dubitant.* 1. 12.  
 § 13. *homine sic loquente,*  
*quid obseruandum?* 1. 13.  
**S** *Ediltruda per vulnus sens*  
*ad verā salutem.* 8. 8. *eius*  
*cælestis philosophia.* *ibid.*  
*Egidius sagitta iktus, non vult*  
*sanari.* 9. 12.  
*S. Elisabeth Thuringi Princi-*  
*pis coniux, quā fortis mu-*  
*lier?* 8. 3.  
*Empedocles quā appetens*  
*immortalitatis?* 9. 11.  
*Epicuri de mūdo sententia.* 1. 1.  
*Epulonis infelix in alterā vitā*  
*conditio.* 8. 6.  
*Elox, pisces inuicem magni-*  
*tudinis.* 3. 10. (1. 12.)  
*Ethnicis fortuna dea credita.*  
*Exempla ambitionis.* 9. 11. *hu-*  
*milicatis.* 8. 3. *iustitia.* 4. 2.  
*magnanimitatis.* 9. 9. § 10.  
*misericordia.* 7. 9. *patientia.*  
 7. 3. § 4. § 6. § 11. *stem.* 8.  
 3. § 5. § 6. § 7. § 8. *pro-*  
*uidentia diuina.* 4. 4. *vari-*  
*antis Fortuna.* 5. 3.  
*Exemplo varijs casibus actorū,*  
*nullum nos casum grauius*  
*accipere debere.* 6. 7.  
*Exempla bonorū imitāda.* 6. 1.

*Exemplorum Christi vī.* 8. 18  
*Exempla luculenta cōtra Fa-*  
*rum.* 4. 4.

**F** *atum, quid?* 1. 9. *quomodo*  
*eius descriptio intelligēda?*  
 4. 16. *fatum quid non?* 4. 2.  
*eius nomen suspectum Pa-*  
*tribus.* 4. 17. *quo bono inte-*  
*lectu possit nominari?* *ibid.*  
*fatum à SS. Augustino &*  
*Chrysostomo expugnati.* 4. 4.  
*fati nomen Christiano serē*  
*vitandum.* 4. 17. *fati neces-*  
*sitate non orgetur Deus.* 1. 1.  
*fatum non infert necessita-*  
*tem libero arbitrio.* 4. 2. §  
 15. *quā proinde impiē iuxta*  
*noxieq; afferitur.* 4. 13. *fati*  
*à quibusdam immerito ac-*  
*cusatur.* 2. 2. *nullum in stel-*  
*lis collocandum.* 4. 8. *fati &*  
*fortuna idē plerumq; ado-*  
*ratores.* 4. 1. *fatum nullum*  
*Christo à stella, sed contrā*  
*potius.* 4. 9.

*Fatalis necessitas, quo sensu*  
*tolerari, aut tanquam ve-*  
*ra explicari possit?* 4. 16.

*Felicitas infelix Hugolini Gi-*  
*rardesci.* 3. 6. *stem Polycra-*  
*tis.* 3. 8.

*Felicitas huius vitæ quomodo*  
*differat à fortuna?* 9. 4. *non*  
*pendere debet ex hominum*  
*linguis.* 9. 11. *magis imenda,*  
*quā misera.* 9. 4. *infelix.*  
 9. 3. 18.

ET VERBORVM.

9. 3. in diuitijs, quàm periculosa? 9. 7. futura lögè postponenda. 9. 1. nemini diurna. 3. 3.  
**Felicitas Vera ubi querenda?**  
 9. 14. Beatorum quanta sit futura? 9. 2.  
**Filium doloris esse prestat in hac, quã in altera vita.** 8. 4.  
**Flagella Dei, quàm promptè suscepit David?** 7. 3.  
**Flagellum Dei rex Hunnorum Attila.** 7. 8. (8. 2.)  
**Flagellis probat filios suos Deus.**  
**Fortium mentium est foria pati.** 8. 3.  
**Fortè, fortasse, forsitan, fortuitu, qua dicatur acciderè?**  
 1. 8. Fortè, Græcis τὰ χαν.  
 1. 12. non ubique pro dubitatione ponitur. *ibid.* (1. 8.)  
**Fortuitum nihil, ratione Dei.**  
**Fortuna non est dea, nec eius auxilio Deus indiget.** 1. 1.  
**Ethnicis Dea credita, & Romanis dea maxima.** 1. 2.  
 his etiam in sterquilino locata, ubiq; adorata. *ibid.* **Veteribus caca efficitur.** *ibid.* & furenti similis. *ibid.* item **Volubili saxo pendens.** *ibid.* **manibus eius insertu nauis gubernaculum, & cur?** *ibid.* **eius imago nouacula vel globo imposta, & cur?** *ibid.* **quos complexa est, plerumq;**

**cacos efficit.** *ib.* **eius templu euersu grauter & leus Iulianus** *ibid.* **Fortunaa mala ara in Exquilys exstructa.** *ib.* **Fortuna Obsequens in Capitolio dedicata** *ibid.* **Primigeniam dedicauit Seruus Tullius in Capitolio.** *ibid.*  
**Fortuna pleraque omnia referuntur accepta.** 1. 3. **etiam à Christianis.** *ibid.* **eius cultores, quoru libris oppugnatis** 1. 4. **eius nomen ignoratione rerum atque causarum inductum.** *ibid.* **quod etsi bono sensu à se & surpatum nollet** S. Augustinus. 1. 4. & 6. **eius pro dea habita refutatio.** 1. 7. **Quid igitur Fortuna?** 1. 9. **eius, & casus discrimen.** 1. 10.  
**Fortuna nulla mutatur, sine diuina sapiètia dispositione.** 1. 11. **Fortuna Iosephi Patriarcha, & Saulis à Deo gubernata.** 2. 3.  
**Fortuna bona & mala in calo, à veteribus posita.** 2. 1. **malè à quibusdã accusatur.** 2. 2.  
**Fortuna scalis adumbrata.** 3. 1. **eius rota quàm & tibilis ad sapientiam?** 3. 2. **eius inconstantia superbiam domat.** 3. 3. **eius remedium est mala sua non putare maiora esse malis alioru.** 3. 4. **blandiens magis timenda, quàm sauens.**  
 R 3 3. 5. di-

INDEX RERVM

3. 5. dicta campidomina. 4. 1.  
 fatis vulgò coniungi solita.  
 ibid. Vices alternans in Lu-  
 poldo Comite. 6. 3. eius ad-  
 uersa ordo remedia. 7. 5. §  
 cap. 8. toto. eius autor à Tri-  
 bus pueris in fornace agno-  
 scitur. 7. 11. sinistra casibus  
 hominum insolentia refre-  
 natur § excitatur in doles.  
 8. 7. eius victores structioni  
 similes ferrum digerenti. §  
 animalibus in mari degen-  
 eribus. 8. 9. simul cū moribus  
 mutatur. ib. differt à felici-  
 tate huius vitæ. 9. 4. Roma-  
 nis discata dicta. 9. 5. simu-  
 lacrum eius in Principū cri-  
 biculis olim poni solitum ex  
 auro, usq; morientibus in  
 manus successorum tradi-  
 tum. ibid. eius incōstans ca-  
 pitas, § cæca inconstantia.  
 9. 6. eius debilia fundamen-  
 ta. 9. 4. eius muneribus vitē  
 dum, non fidē dum 10. 1. eius  
 remedia è quibus scriptori-  
 bus. ibid. Vbiq; ferè fungitur  
 primo loco. 10. 3. eius ictus  
 omnes prouidēdi 10. 4. ab eā  
 pericula eadē omnibus. 10. 6.  
 Fortunus Deus à quibusdā di-  
 ctus. 1. 3. à Lactantio § Ar-  
 nobio refutatus. ibid.  
 S. Francisci Xauerij crux mi-  
 raculosa. 3. 9.
- Frustra contra Deū itur. 6. 2.  
 Furtū miraculosa scripturā ab  
 autore suo proditum. 2. 14.  
 Gertrudi de aduersis fe-  
 licitate reuelatio. 8. 16. sic, quæ  
 crux vtriusq;?  
 Gloria celestis meditatio ma-  
 gnum in aduersis momen-  
 tum habet. 8. 15.  
 Gregorij Pont. VII. futura po-  
 restatis omen. 2. 13.  
 Henricus Lupoldi Cōfessio-  
 nis. 2. eius fortuna mirabilis  
 ibid. § varia. ib. § c. 6. 4.  
 Heroes varij varios in casibus  
 demissi 6. 5.  
 Honoris fortuna subiecti Sa-  
 nitas. 9. 11.  
 Horoscop' in Natiuitate Chri-  
 sti. quis? 4. 7. eius mysteria  
 significare non potuit. 4. 8.  
 Hugolini Girardesci infelici-  
 sima felicitas. 3. 6. (8. 3.)  
 Humilitas S. Elisabeth regina.  
 Hydropici senis votum lauda-  
 bile. 8. 5.  
 Iacob Patriarcha varijs ca-  
 sibus obiectus. 6. 5. (2. 14.)  
 Iacobi Fortunati omen è casibus.  
 Iaculati casu, à Deo directi  
 2. 6. (6. 1.)  
 Imitatio honorū quādo mala?  
 Impatientia Casus exculce-  
 rat magis. 10. 7.  
 Incendij Lugdunensis calamitas  
 insignis. 10. 2.  
 Infe-

ET VERBORVM.

- Infelicitas duorum coniugum felicissima.* 3. 7. (93.  
*Infelix huius mundi infelicitas.*  
*Infirmetas corporis interdum sanitati pralata.* 9. 12.  
*Infortunia nostra D. Laurentij, aliorumq; martyrum cruciatibus cōparata, nihil.* 8. 10.  
*Innocentia Deus & casus fauent.* 2. 12.  
*Ioannu Eleemosinarū quanta in amissis opibus animi magnitudo?* 9. 9.  
*Iobi quanta metamorphosis? 6. 5. patientia.* 7. 4.  
*Iosephi Patriarcha Fortuna à Deo gubernata.* 2. 3. eius rei exemplū 4. 4. mira dices. 6. 5.  
*Iulianus grauer & eius euersum Fortuna templum.* 1. 2. acerbe iocatus in Martyrem. 9. 14.  
*Iustitia Conradi II. Imp.* 5. 2.  
**K**alēdarijs futura pradicētibus parum fidendū 4. 6.  
*Renelms mors & causa casu simul & miraculo patefacta.* 2. 12.  
**L**actantiū de Fortuna assertoribus sententia. 1. 5.  
*Lata tristitū cogitatione moderanda.* 3. 5.  
*D. Lauretj sana Fortuna.* 8. 10.  
*Liberum arbitrium prescēntia Dei non ladit.* 4. 14.  
*Loqui dubitauer, non est semper, dubitare.* 1. 12. & 13. sic loquente homine, quid obseruandum? 1. 13.  
*Ludouici Landgrauj contra libertatem arburj, argumentatio.* 4. 14.  
*Lugdunense incendium.* 10. 2.  
*Lupoldi Com. admirabilis fortuna.* 5. 3.  
*S. Lupus Episc. Attilam, & flagellum Dei, reueretur.* 7. 8.  
**M**agnanimitatis exēpla, 9. 9. & 10.  
*Magorum exēplo, per astra, ad Deum ascendendum.* 4. 12.  
*Mala Fortuna aram in Exquisitj exstruebāt Romani.* 1. 2.  
*S. Martinus miraculose sanatus intercedente casu.* 2. 4.  
*Martyrū cruciatu multis partibus maiores nostris.* 8. 10.  
*Mauritj Cō. sapiēs oratio.* 7. 9. in hostes misericordia. ibid.  
*Miser nemo diu.* 3. 3.  
*Moneius casu dicta, & iustitiam Dei consilio excipit.* 2. 10.  
*Monyma Mithredatis vxor quam ignominia & impatiens 9. 11.*  
*Monymus amore philosophia diuitias abijcit.* 9. 8.  
*Morbis est beneficiū Dei.* 9. 13.  
*Mores cum Fortuna mutantur.* 8. 9.  
*Mundū nullā prouidētiā regit. Epicuri sententia.* 1. 1. Chri-  
R 4
stiano.



# INDEX RERVM

- stianorum, contraria.* 1. 6.  
*mundi felicitas suspecta debet esse sapienti.* 3. 5. *quantilla ea?* 9. 3. *nunquam secur.* 10. 3. (8. 5.)  
*Myrogenis Abbatis patientia.*  
*Mysterium subest, cum Deus dubitantis in morem loquitur.* 1. 13.  
**N**ecessitas alta antecedens, alta consequens. 4. 16.  
*Nigra dea fluminis in Scotia.* 3. 10.  
*Nimium bene est, cui non male.* 3. 5. *exemplo docetur.* *ibid.*  
*Noe Varijs casibus tactatus.* 6. 5.  
*Nomen facti suspectum Patribus.* 4. 17. *nomen Fortuna unde?* 1. 4. *bono etiam sensu et surpassasse nollet August.* 1. 4. & 6.  
*Novitius temere loquendo, senem prudentiam docet.* 2. 8.  
*Numa Pompilius auctoritatis studiosus.* 9. 11.  
**O**bssequens Fortuna in capitolio dedicatur. 1. 2.  
*Occasio peccandi cum Fortuna bonis tollitur.* 8. 8.  
*Omen Iacobi Fortunati è casu.* 2. 11. *futura potestatis.* 2. 13.  
*Omnes in hac vita eadem Fortuna pericula manent.* 10. 6.  
**P**alma symbolum caelestis gloria 8. 14. & Victoria. *ib.*  
*Parca tres descripta.* 4. 1.  
*Patientia Iobi.* 7. 4. *triumphorum in fornace Babylonica.* 7. 11. *S. Elisabeth. regina.* 8. 3. *S. Ediltrudis.* 8. 8.  
*Patientia remedium, scire, casus a Deo esse.* 2. 2. *casus a universos mollit & emendat.* 10. 7. *exempla.* *ibid.*  
*Pendens Volubilis saxo Fortuna, Veteribus.* 1. 2.  
*Petrus de remissione culpa dubitater loquens Simoni mago, de ea non dubitavit.* 1. 3. *cur sic locutus?* *ibid.*  
*Philippi Macedonis, in summa felicitate, dictum.* 3. 5.  
*Pictor casu impetrat, quod arte non potuit.* 2. 5.  
*Pigmenij forte dictum.* 9. 14. *de caecitate sibi gratulatur, & cur?* *ibid.*  
*Pittacti scala.* 3. 1.  
*Platonici cur in Vallibus philosophant?* 9. 12.  
*Polycrati felicitas fortuna et stem exitum.* 3. 8.  
*Prasentia Dei nihil officit libertati.* 4. 14.  
*Primigenia Fortuna à Servio Tullo dedicata.* 1. 1.  
*Providentiâ divinâ mundus administratur.* 1. 6. *nihil et fortuitum.* 1. 8. *quippe cui Fortuna & Casus subiecti.* 1. 11.  
**Q**uanta beatorum felicitas? 9. 2.  
*Quantilla mundi huius felicitas?* 9. 3. *Reme-*

- R**emedium patientia, ca-  
 suo Deo ascribere. 2. 21.  
 ☉ *Fortuna*, cogitare se non  
 plus quam alios pati. 3. 4.  
 hoc è quibus autoribus pe-  
 tendum. 10. 1.  
*Romanis dea maxima*, *For-*  
*tuna* 1. 2. ab ijs in sterquilini-  
 mo lacata, ubiq<sup>3</sup> aduocata.  
 ibid.  
*Rota Fortuna* imago. 3. 3.  
*Rutilij Virtus* per injuriam ef-  
 fulgescens. 5. 1.  
**S**anitati corporis, infirmitas  
 subinde pralata. 9. 12.  
*Sapientia Dei* in miraculo  
 trium puerorum. 7. 10.  
*Sapientis est omnem Mundi*  
*felicitem suspectam ha-*  
*bere.* 3. 5.  
*Saul amissas asinas* quarens,  
 regnum inuenit. 2. 3.  
*Scala fortuna* similis. 3. 1.  
*Seianus Fortuna* ludibrium.  
 9. 6.  
*Semei non sine diuina* *Solun-*  
*tate Davidi aduersus.* 7. 7.  
*Seruij Tulli* cum *Fortuna* con-  
 suerudo. 1. 2.  
*Sesostris rex Aegyptiorum* in-  
 constantiam *Fortuna* discit  
 è rota. 3. 3.  
*Solonis sapiens dictum.* 3. 4.  
*Spartani*, quomodo probarint  
 filios suos? 8. 2.  
*Spes gloria celestis magnam*  
*in aduersis solatium.* 8. 15.  
*Stella non imperant sapienti.*  
 4. 2. earum fatum refuta-  
 tum à *D. Ambrosio.* 4. 3.  
 non strangulant arbitrij li-  
 bertatem. 4. 5.  
*Stella à Magis* *Visa* *Varijs* *Vel*  
*erroribus*, *Vel* *opinionibus*  
 obiecta. 4. 7. *Priscillianistis*  
*fatum Christi* fuit. ibid  
 sed refutantur. 4. 9. *prædi-*  
*cta olim à Balaam.* 4. 10.  
 eius excellentia. 4. 11.  
*Stephani monachi* amor crucis.  
 8. 6. ☉ *sapiens ratiocina-*  
*rio.* ibid.  
*Struthio ferrum* digerit. 8. 9.  
*Taxa* idem quod *fortis*, non  
 ubique dubitantis aduer-  
 bium. 1. 12.  
*Templum Fortuna* euersum  
 grauer *Velus Iulianus.*  
 1. 2.  
*Theramenis tyranni* *presaga*  
*vox.* 3. 5.  
*Timagenis*, de incendio *Roma*,  
 dolor. 10. 5.  
*Tobia patientia.* 7. 6. *cacita-*  
*tem à Deo immissam agno-*  
*scit.* ibid. quo fructu? ibid.  
*Temporis regina* boni consilij  
 contemprix malo suo. 3. 3.  
*Treca*, *Urbs* ad *Attulia* illaesa,  
 ☉ cur? 7. 8.  
 R 5 Tres

# INDEX RERVM ET VERBORVM.

<p><i>Tres pueri in accensa fornace cur illasi?</i> 7. 10. eorum patientia, quam fructuosa. 7. 11.</p> <p><i>Tulipa Dalmatis ac Turris pilenus.</i> 7. 2. eius quæ floris descriptio. 7. 2. Unde sic dicitur? ibid. eius cum homine fortunato comparatio ibid.</p> <p><b>V</b>anitas honoris &amp; dignitatum. 9. 11.</p> <p><i>Vaticinium Balaam de stellâ cum Christo oriturâ.</i> 4. 10.</p> <p><i>Vbiq; ferè Casus &amp; Fortuna tenent.</i> 10. 3.</p> <p><i>Versu Onico, quàm destinat, efficit Abbas in Monacho.</i> 2. 7.</p>	<p><i>Via ad Victoriâ peraduersa.</i> 8. 14.</p> <p><i>Via Dei recta.</i> 5. 1. mirabilis. cap. 6. 1010.</p> <p><i>Vicissitudo rerum omnium in terris sapientissimè constituta.</i> 6. 4. qualis ea in Vita Christi? 6. 6.</p> <p><i>Virga, signum in cælo, quid portenderit?</i> 4. 7.</p> <p><i>Virtus nulla sine aduersario.</i> 3. 1. aduersis acuitur. 8. 9.</p> <p><i>Vita secura, mare mortuû.</i> 8. 7.</p> <p><i>Vita generosum facinus.</i> 8. 12.</p> <p><b>S</b>Xauerij Imp. in mare prolapso feliciter reddita. 3. 9.</p> <p><i>Xenophon quomodo Fortunam effinxerit?</i> 9. 6.</p>
---	--



**EPICI.**

EPICITHARISMA.

*De misera huius vite felicitate. Ex Francisco  
Petrarcha, lib. 1. cap. 108. de remedijs utri-  
usque Fortune.*



Um foelix. RA. Pontificatu forsā,  
aut imperio, aut omnino potentia,  
atque opibus foelicem fieri credis?  
falleris: non foelicem faciunt ista, vel mise-  
rum, sed detegunt atque ostendunt: & , si  
quid facerent, miserum potiùs, quàm foeli-  
cem facerent; sunt enim plena periculis,  
quibus humanarum est affixa miseriarum ra-  
dix. GAV. Foelix sum. RAT. O miser, qui in  
tot malis te foelicem speres. GAV. Sum foelix.  
RA. Opinione fortassis tua, quæ quoniam  
falsa est, foelicitati nihil addiderit, sed mise-  
riæ multum. Siquidem propriam non nosse  
miseriam, miseria summa est. GAV. Foelix  
sum. RA. Hoc inter carnificum gladios ma-  
gnus ille Pompeius de se prædicat, quod  
tamen, si profundius verum fodis, nunquam  
fuerat, ne tum quidem, dum florentissimo in  
statu foelicissimus videretur. GAV. Sum fo-  
elix. RA. Felix es, & vnus viator insolitus: mi-  
rus cursor, qui in hoc scrupulo, & difficili cel-  
la sis,

E P I C I T H A R I S M A.

la sis foelix, inter mille pericula, raptatus jugiter, & ignorans, qui siquidem hîc es foelix, quod nemo vnquam fuit, nemo erit, vt auguror: nam quis, quæso, hominum foelix in miserijs? Nemo igitur foelix priusquam ex hac miseriarum valle migrauerit. Duos quidem è cunctis mortalibus colligunt foelices, in quibus opinatissimus est Quintus Metellus, & apud scriptores rerum & vulgò etiam foelix. Sed huic tamen quamuis latè jactatum foelicitatis nomen, in quibusdam exactioribus scriptis, creptum scio iniurijs aliquando grauissimis, & quod dolorem ingerminat, vili ab auctore susceptis. Iam reliquorum falsa foelicitas in aperto est. Sylla foelix tantùm dictus est, infœlicem tamen vitæ illum: ac mortis atrocitas probat. Alexandri Macedonis, ac Iulij Cæsaris, & si fortissima prosperrima, vita tamen inquieta, semper ac turbida, atque ideo nunquam foelix: vtriusque mors rapida. Ille in medio bellorum cursu, hic post victoriam repentè. Ille veneno perijt, hic ferro. Scipionum bellicam foelicitatem, alterius indignum exilium, indigna quoque alterius & inulta mors

mini

EPICITHARISMA.

minuit. Longum est euoluere singulorum  
 fortunas: ad supremum venio. Vnus omni-  
 um ferè omnibus foelix visus est Augustus  
 Cæsar monarchia omnium altissima, diu-  
 turna pace, vitæ studio ac fine suauissimo,  
 quodque omnia superat, morum atque ani-  
 mi tranquillitate perpetua: quis hunc feli-  
 cissimum negauerit? Sed foelicem negant,  
 quibus hæc scrutandi studium fuit. Obstat  
 enim extrinsecis fulgoribus interioris ac do-  
 mesticæ vitæ status, & fortuna longè alia,  
 naturalis ac virilis sobolis defectus, adopti-  
 uorum ac nepotum immaturæ mortes, &  
 quorundam morte peior contumacia. Ad  
 hæc & vilissimorum quoque hominum insi-  
 dia, & suorum in se crebræ conspirationes,  
 & dilectissimæ atque vnicae filia ac neptis  
 adulteria crebriora, denique non suus heres,  
 successorque non placitus, & necessitate  
 magis, quàm iudicio electus, nec omnino se  
 dignus, nec imperio. Si horum ergo nemo  
 foelix, vel foelicem alium da mihi, cum quo  
 foelix sis, vel sine consorte foelix esto, vel  
 iam tandem veriori sententiæ aurem præbe,  
 secundum quam dico iterum: ante mortem  
 nemo

EPICITHARISMA.

nemo hominum foelix. G. Ego animo foelix  
 sum. R. Sentio, quam foelicitatem dicis. aut  
 foelix igitur errore tuo es, vt ait ille, quæ foe-  
 licitas, vt dixi, miseria est, aut virtute animi  
 foelix, quæ nec ipsa foelicitas plena est, quam-  
 uis sit ad foelicitatem via. Ad postremum  
 cuncta discutiens, me mirari non dissimulo,  
 quam mihi foelicitatem quidam somniant  
 promittuntque alijs, acutissimi homines in  
 multis, hac in parte cæcissimi: nam siue  
 omnium cumulus honorum ad foelicitatem  
 isque indeficiens ac stabilis requiritur, &  
 quam multa desint homini vitæ studium  
 hoc agenti, pro se quisque sentit, & hæc ipsa,  
 quæ adsunt, tquam incerta, quamque labilia  
 sint agnoscit, siue quod alijs videtur, sola  
 virtus hoc præstat. Certè ipsi, qui secundum  
 virtutem vitam agunt, quos efficiunt foeli-  
 ces, quosque foelicitati proximos, non nego,  
 vitam ipsam perpetuis tentationum prælijs  
 patiuntur infestam, periculis semper multis  
 & grauibus expositi, nec vnquam ante exi-  
 tum securi, quod siue nesciunt, siue sciunt,  
 æquè miseri sunt habendi. Nulla enim cum  
 errore, nulla sine securitate foelicitas. GAV.

Foelix

EPICITHARISMA.


Foelix mihi ipse videor. RA. Iam responsum habes: si foelicem error faceret, paucissimi non foelices essent: falsa ergo foelicitas tua est, & ea ipsa perbreuis. Nulli errore diu contigit gaudere: sola quidem veritas solida est. Error tenue quiddam & inane, quod inter amplectentium manus quasi fumus, aut umbra diffiliat. Veniet, quæ umbras abigat, falsaque gaudia in apertum protrahat, quæ foelicitati humanæ verum precium somnijs ponat. Quære interim ab his ipsis, quorum proximè mentio est habita, quære ab omnibus, qui foelices vel sibi, vel alijs visi sunt: vbi nam gentium, quæ nunc in statu sint, de sua illa breui foelicitate, quid sentiant, tacebunt ipsi, sed loquetur veritas, testabiturq; habitos foelices, fuisse miserri-  
mos.


OMNIA AD MAIO-  
REM DEI, DEIPARÆ QVE VIR-  
GINIS MARIÆ HONOREM  
ET GLORIAM.






...ilew  
...ndu  
...co  
...gug  
...non  
...pigu  
...dar  
...lla  
...nd  
...ron  
...all  
...id  
...and  
...si


















De  
Casibus  
Fortuna

38

Th  
3087